# ABSOLVTA DE CHRISTI DOMINI ET CATHOLICÆ eius Ecclesiæ Sacramentis, tractatio, Autore HENRICO Bullengero.

*Cui adiecta est eiusdem argumenti Epistola, per* IOANNEM *à Lasco, Baronem Poloniæ ante quinquennium scripta.*

*Accessit rerum ac uerborum copios sus index.*

1. Cor. 10.

Non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ Dæmoniorum.

LONDINI EXCVDEBAT Stephanus Myerdmannus: An. 1551. Men. Apri.

*Cum Priuilegio ad imprimendum solum.*

LIBRARY
THEOLOGICAL SEMINARY,
NEW YORK.

1551 B94

# SERENISSIMAE PRINCIPI ET DOMINÆ, DOminæ Elizabethæ Dei gratia Regiæ Maiestatis Angliæ, &c. Sorori dignissimæ: Ioannes a Lasco Superintendens Ecclesiæ Peregrinorum Londini gratiam a Domino & pacem, summa cum obseruantia precatur.

EMO est qui nesciat ad Dei id optimi maximi gloriã imprimis pertimere (Serenissima Princeps) ut dona illius reuerenter omnes, in eius Ecclesia agnoscamus, conspicuaq; omnibus commendatione nostra faciamus. nimirũ ita fit, ut & Dei prædicetur benignitas, Et Ecclesia magnam accipiat consolationem, inq; sua erga Deum fide non uulgariter confirmetur. Cum igitur ita multis te & præclaris à Deo dotibus ornatam esse (ad omnium usq; admirationem) non ignoremus: ut etiã si

tibi nihil omnino neq; ornamenti, neq; existimationis ex Regia dignitate tua acceßiſſet (quod tamen diuina hauddubie prouidentia factũ eſſe dubitare non debemus) inter ſumma interim Eccleſiæ Dei hic lumina numerari, adeoq; & Reginis ubilibet omnibus æquari, ne dicam anteponi non temerè poßit putaui & ego eſſe id mei officij, ut eam beneficentiæ diuinæ in donis ſuis opulentiam, non in Regiam modo Maieſtatem (alterum proculdubio ſæculi noſtri Ioſiam) ſed in te quoque ſororem ipſius clarißimam collatis, non tibi tantum, ſed toti Regno etiam, atq; uniuerſæ adeo Chriſti ubiuis Eccleſiæ gratularer: illiusq; memoriam (quantum in me quidem erat) immortalitati conſecrarem. atq; ita demum etiam meam erga Deum imprimis (hac quoq; in parte) gratitudinem, deinde uero dudum alioqui animo meo conceptam in te obſeruantiam piis omnibus approbarem. Neq; uero in celebrandis Dei donis hoc agimus, ut nobis ipſi laudem illorum adſcribamus. Quid enim habemus quod non aliunde acceperimus? Aut quid dẽ acceptis gloriemur: quaſi ea per nos ipſos cõparata, non autem aliunde gratis in nos collata habeas

beamus? Sed Dei beneficientiã qua nostram abiectionem ita exornat commendamus. Ita & nos dum Dei in te dona intuemur, uenerantur illa quidem in te, uelut selecto ad id ab ipso Deo organo: teq; adeo ipsam (ut debemus) illorum nomine suspicimus, sed laudem eorum ac gloriam totam illi transcribimus, à quo in te omnia collata esse scimus: & eam perpetuam esse optamus.

Porrò cum ipse is mihi non esse uidear qui scripto ullo meo nominis tui memoriam ad posteros pro tua dignitate transmittere possim, sub alieno id mihi opere faciendum esse existimaui: eiusmodi uidelicet, quod & propter autoris excellentiam & propter argumenti utilitatem, deniq; & propter doctrinæ in illo puritatem, æternum fore non dubitarem. Obtulit autem sese mihi ad eam rem eiusmodi occasio, qua sanè commodiorem ne optare quidem potuissem.

Delituit apud me à triennio aut eo amplius (non mea quidem iniuria sed temporum iniquitate potius) libellus uiri doctissimi iuxta ac pientissimi D. Henrici Bullingeri. de Christi Domini & Catholicæ eius Ecclesiæ Sacramentis quem non ita pridem

eum reliqua ſupellectili mea (uelut collectis è naufragio tabulatis) accepi. Eius porrò libelli ſiue edendi ſiue prædi potestatem ille mihi (qui eſt hominis candor) fecerat: pro eo ac id exuſu Eccleſiæ fore iudicem, ſed ego interea perpetuis fere eiſdemq; arduis itineribus diſtrictus, libellum ipſum, uarie alioqui etiam iactatum, non prius ad manuum habere potui: nedum ut illum edere poßem. Eum igitur libellum cũ nuper (ut dixi) accepiſſem: cogitaui eam fore optimam rationem tranſmittendæ ad poſteros tuæ memoriæ (per quam perpetuq alioqui etiam diuinæ in te beneficentiæ commendatio in eius Eccleſia extaret) ſi libellus ipſe ſub tui nominis auſpiciis in publicũ exiret. Sic enim illi nunc ſplẽdor tui nominis apud pios omnes addet gratiam. Et ille tuo uicißim nomini immortalitatem demum pariet, Deiq; dona in te apud poſteros commendabit. Tractat enim argumentum non modo utile toti Chriſti Eccleſiæ ſed etiam prorſus neceſſariũ. Et eam continet doctrinam, quàm ut certum eſt ex ipſis uerbi diuini fontibus deductam eſſe: ita æternam fore etiam, dubium eſſe non poteſt. Sanè non

aliunde

illunde grauis uulnus accepit Ecclesia Christi in uero cultu Dei totiusq; adeo religionis uerae obseruatione: quàm ex depraua-ta de sacramentis doctrina illorumq; demum prophanatione. inde enim omnem omnino nostri temporis idololatriam, omnemq; praeterea Antichristi Romani tyrannidem natam confirmatamq; esse constat. Quae usq; adeo iam inualuisse alioq; uidemus, ut ipsa malimagnitudo studium eorum commendet, qui in adhibendo illi remedio diligenter & fideliter laborarunt. Neq; ignoro à multis hic ermagnis uiris, magna cura ac sollicitudine neq; sine maximo fructu etiam laboratum esse. Sed quantum unus Bullingerus inter alios hic praestiterit, praesertim si doctrinae simplicitatē & perspicuitatem spectemus: id uero uel ex ipso libello suo tua Maiestas facilè iudicabit. Es enim ea eruditione (sit Deo gratia) ea item linguarum ac disciplinarum cognitione instructa, deniq; & in diuinis literis ita uersata: ut ipsamet per te id (si quisquam alius) iudicare possis. Nec dubito quin hoc sis facile agnitura ubi libellum perlegeris. Eum itaq; tibi nuncupo. ac per te illum, teq; per illum uicissim, piis omnibus,

& totī adeo in posterum Christi Ecclesiæ commendo. Adieci autem ueluti Appendicem quandam unam ex meis Epistolis antequinquennium eadem de re ad quendam amicum scriptam. quæ summam ferè omnem ipsamq; adeo rationē eius de Cœna Domini controuersiæ breui compendio complectitur. Sic enim collatis quæ inter sese uariantium sententiis, earumq; rationibus, facilè de causa tota iudicari potest. Tuum erit iā (Serenissima Princeps) nostræ hoc erga te obseruantiæ testimonium quale cunq; boni consulere. Et in hoc incūbere, ut dotes tuas quas à Domino ita opulente in te collatas habes, conferas ad propagandam Dei gloriam in Ecclesia ipsius. Deus optimus maximus dirigat te tuaq; consilia omnia, ad Ecclesiæ suæ ornamentum & decus nunquam intermoriturum, Amen.

Tuæ Maiest. Serenissimæ addictissimus clicns
IOANNES A LASCO.

# INDEX RERVM memorabilium in hoc libello.


ACCIPITE Spiritum sanctum, quomodo dixerit Christus. Fol. 69. b.
Agnus paschalis. 44. a.
Ahiæ pallium discissum, quid significarit. 71. a.
Analogia in sacramentis obseruanda. 12. b. 91. a.
Analogia in negocio Cœnæ. 92. b.
in baptismo. 91. b. 92. a.
Apostoli quomodo peccata remittant. 76. a
Aqua baptismi. 24. 25. 26. 92. a.
Arca fœderis, & quis eius usus ac abusus in populo Israel. 53. b.
Argumenta quibus Sacramenta dicuntur exhibitiua, confutantur. 69. a.

B.

Benedictio an mutet naturas. 29. b.
Benedictio quid. 30. b.
Baptismus accipit nomen rei signatæ. 45. a.
non est indifferens. 105. a.

quarum rerum nos admoneat. 100.b.
quomodo obsignet. 86.a.
fideles in unum colligit. 96.a.
Baptismi usus. 111.a.b.
aqua quomodo mundentur homines. 24.a.25.26.
aqua non consecrata Apostolis. 65.b.
ceremonia olim modica. 66.b.
consecratio Papistica. 63.a.
Baptizari in nomẽ Dei Patris, Filij, & Spiritus sancti, quid. 91.b.
Baptizandi forma quæ. 111.a.b.
Baptizandi olim lac & mel prægustabant. 67.a.

C.

Carnalis seruitus. 48.b
Ceremonia sacramentorum quæ. 18.b.
Chrisma quid. 5.a.
Chrisma baptizatis quomodo à ueteribus adhibitum. 65.b.
Ciborum sanctificatio iuxta Paulum quæ. 34.a.
Circumcisio. 44.a.
Clauium oblatio quid. 71.a.
Cœna Domini quid. 45.b.112.a.
est sigillum iustitiæ fidei. 88.a.

Cœnæ Dominicæ usus. 100.b.111.b.112.b.113.b.
locus eius. 117.b.
Κοινωνία quid. 98.a.
Columba quomodo Spiritus sanctus. 70.a.
Conferre quid. 59.a.
Coniunctio fidelium cum Christo & Ecclesia. 95.b.
Consecrationis uerba olim publicè & uulgariter prolata. 28.b.29.
Consecratio sacramentorum. 22.a.b.23.33.a.34.35.
Controuersia Cœnæ Dominicæ in quibus consistat. 113.a.
Corinthij quare reprehenduntur à Paulo. 97
Corona & sceptrum Regis quid significent. 71.a.
Cypriani sententia de baptismo. 107.b.

D.

Deus non est mendax. 80.b.
Dei bonitas & sapientia relucet in institutione sacramentorum. 12.b.
Dexteræ confertio. 71.b.
Doctrinæ summa de sacramentis. 110.b.

E.

Ecclesiæ ritus salubres. 16.a.

Eucharistia. 31.a.
Eulogia quid. 31.a.
Exhiberi quid. 68.a.
Exhibitio rei sacramentalis an per ministrũ fiat. 75.b.
Exhibitio rerum in sacramentis an sit plenior. 74.b.

F.

Fides generalis & specialis confutatur. 61.a.b.
Fides iustificat. 62.a.
Fides adesse debet sumentibus sacramenta. 101.a.102.
Fidei augmenta. 75.a.
Fide fit ut sacramenta non sint superuacua. 104.b.
Fidẽ excitant & iuuant sacramenta. 91.a.
Figurata oratio quomodo recipienda. 49.a
Fœderum faciendorum mos. 13.a.

G.

Gratia quid sit. 58.
Gratia confertur gratis, & recipitur per fidem. 60.b.
Gratia Dei an Sacramentis contineatur. 62.b.
Gratiæ Dei sedes est anima, nõ signa. 64.a.

H.

H.

Hoc est corpus meum. 19.b.20.a.120.a
Homo exterior & interior. 117.b.

I.

Impij non participant in communione sacramentorum. 36.b.
Impositio manuum. 70.
Incantatio quid. 27.b.
Incantatores theologi. 27.a.
Incredulis sacramenta nihil obsignant. 90.a
Infirmitas seruilis. 48.b.
Ioan. 6. uerba explicata. 49.b.50.21.b.
Ioan. 3. de Nicodemo. 12.a.
Ioan. 15. Mundi estis propter sermonē. 25.a
Ioannis Scoti sententia de transubstantiatione. 41.b.

L.

Lateranense Concilium. 41.b.
Locutiones figuratæ. 45.b.46.a.
Locutiones sacramentales. 42.a.
Locus Cœnæ Dominicæ quis. 117.b.
Loquutionum quotidianarum usus. 46.a.

M.

Manuum impositio. 70.b.
Ministri non dant res signatas sacramentis uice Domini. 77.b.78.a.

Ministri spiritus non literæ. 78.
Ministri opus distinguitur ab operatione spiritus sancti. 38.a.
Ministerium & potestas distingui debent. 77.a.b.
Miraculosa signa. 4.
Mysterium quid. 7.b.

N.

Natura rerum an benedictione mutetur. 29.b.
Nicenus canon de baptismo. 65.
Nomen dare & accipere in baptismo. 92.a.

O.

Omnipotentia Dei. 30.a.
Omnipotentia quomodo uerbo Dei tribuatur. 32.b.
Opinionum uarietas circa præsentiam corporalem Christi in Cœna. 114.a.
Ostenta. 4.a.

P.

Pallium Abiæ. 71.a.
Panis qui frangitur, quomodo communio corporis Christi. 96.b.
Panis & uinum manent post consecrationem. 39.b.40.a.b.
Peccata, quo Apostoli remittant. 76.a.b.

Petra erat Christus. 47.b.
Pœdobaptismus. 73.b.87.a.103.b.
Potestas & ministeriũ distinguenda. 77.a.
Præsentia naturalis corporis Christi, & quare damnanda. 112.a.b.
quomodo à quibusdã probatur. 114.a.b.
quomodo oppugnatur. 119.a.b.
Probatio hominis in quo consistat. 74.a.
Promissio in sacramentis quæ. 18.b.
Pauli aliquot loci explicati. Eph. 5.24 a. Rom. 4. 84.a.b. 1. Cor. 10. panis quem frãgimus. 96.b.97.98. 1. Tim. 4.34.a.

R.

Rabanus Maurus. 15.a.
Res quomodo in sacramentis percipiantur. 80.b.
Res sacramentorum internæ & cœlestes quæ. 17.b.18.a.
Ritus Ecclesiæ salubres. 16.a.
Ritus sacramentorum qui. 18.a.b.

S.

Sacramentum quid. 6.a.b.
Sacramentum pro iureiurando. 7.a.
Sacramentum militare. 7.b.
Sacramenta uelut ex manibus Christi sumenda. 10.a.

cur instituta. 11.a.b.12.a.
sunt sigilla. 83.b.
quibus rebus constent. 16.17.18.
sunt sacra & efficacia. 79.a.
obstringunt. 99.a.
admonent fideles sui officij. 100.a.
colligunt in unum & separant ab aliis. 95.a.96.a.
repræsentant res. 90.b.
excitant & iuuant fidem. 91.a.93.b.
an contineant gratiam. 62.b.
non exhibent quæ significant. 68.a.b. 71.b.
Non conferunt gratiam. 55.a.b.56.a. 59.a.
non sanctificant per se. 106.a.
non pendent à ministrorũ dignitate uel indignitate. 102.b.103.a.107.b.108.
Sacramenta an res plenius exhibeant. 74.b.
non sunt superuacua habentibus fidem. 104.b.113.a.
non prosunt incredulis & impiis. 90.a. 101.a.
nõ sunt indifferẽtia. 105.a.b.113.a.118.a
Sacramenta ueteris ac noui populi. 50.a. 56.57.58.b. 111.a.

Sacramentorum species & numerus. 14.15.
summaria tractatio eorundem. 110.b.
Sacramentorum autor solus Deus. 9.a.
uarius usus. 110.b.
De Sacramentorum uirtute religiose los quendum. 53.a.
Sacramentorum ritus & uerbum. 18.a.
significatio. 68.a.
Sacramentorũ uerbiq; qualis cognatio. 37.b
Sacramentorum sanctificatio & consecratio. 22.23.33.a.
de Sacramentis nullæ rixæ ueteribus. 46.b.
Sacramentis res signatas non dat minister uice Domini. 77.b.78.
Sacramentis neq; nimium neq; nimis parum tribuendum. 53.b.
Sacramentis res quomodo exhibeatur. 75.a
Sacramentalis unio. 42.a.117.a.
Sacramentales & figuratæ loquutiones. 42 a.45.b.46.a.48.a.50.b.51.a.
Sacramentalia signa ab aliis distincta. 5.b.
Sacris illegitimis participantes sunt membra Diaboli. 99.a.b.
Sacrificia. 44.a.
Sanctificatio sacramentorum uera. 33.a.
Sanctificati multi sine sacramentis. 106.a.

Sceptrum & corona regis quid significent. 71.a.
Sedes gratiæ Dei. 64.a.
Sermo Domini quomodo mundet. 25.a.
Seruitus carnalis. 48.b.
Seruilis infirmitas. 48.b.
Sigillorum usus. 83.b.
Signum quid. 1.b.
Signum & signatum quomodo in sacramentis coniungantur & discernantur. 42.a. 43.a. 36.a.
Signa miraculosa. 4.b.
Signorum diuisio uaria. 1.b.2.a.b.3.
Signa paradigmatica. 5.a.
Signa sacramentorum quare uocentur externa, terrena. 17.b.
Signa accipiunt nomina rerum signatarum. 43.b.
Signa ab hominibus & Deo data. 2.b.3.a.b. 4.a.
Signa sacramentalia ab aliis distinguuntur. 5.b.
Signatas res non exhibent sacramenta. 71.b
Significatio sacramentorum. 68.a.
Spiritus non literæ ministri, Apostoli quomodo sint. 78.

Spiritus ſancti opus diſtinguitur à miniſterio hominis. 38.a.
Spiritus ſanctus proprie obſignat. 89.a.
Spiritus ſanctus quomodo columba. 70.a.
Spiritum ſanctum non dat homo. 78.a.
Symbolum quid. 8.a.
uaria eiuſdem acceptio. ibidem.
Symbola an ſint nuda, uacua & inania. 79.a.
Synaxis. 93.b.

T.

Tranſubſtantiatio. 39.a.112.b.
Tranſubſtantiationis argumenta papiſtica confutantur. 29.b.30.a.

V.

Vacua an ſint ſigna. 79.a.b.113.a. 118.a.
Verbum in ſacramentis quid ſit. 22.b. 18.a.
Verba conſecrationis. 28.b.29.
Verborum efficacia in ſacramentis. 26.b.
Verbi diuini prædicati energia. 94.a.
Verbi Dei & ſacramentorum qualis cognatio. 37.b.
Verbo Dei quomodo omnipotẽtia tribuitur 32.b.

Verborum usus & uis. 31.b.
Veritas Dei. 80.b.
Vnio sacramentalis. 42.a.117.a.

Z.

Zuinglij de sacramentis sententia. 88.b. 94.b.

FINIS.

## Errata quædam per incuriam admissa.

Folio.2. pagin.2.uersu.8.monumenta.
Ibidem uer.21.ratione.
fol.3.p.1.uer.6.omnia.
Ibidē.uer.18.deest,nos:bona nos fide, &c.
Ibidem p.2.uer.10.per humanas.
Ibidem uer.21.admoneantq;.
fol.4.p.1.uer.12.instituueret.
fol.6.p.1.uer.8.differemus.
fol.7.p.1.uer.18.hæc:pro hic.
fol.12.p.2.uer.8.contemplanti.
fol.14.p.1.uer.14.præter.
fol.23.p.1.uer.12.Syriæ.
fol.28.p.2.uer.3.compitis.
fol.29.p.1.uer.7.maiore.
fo.30.p.1.uer.19.dum.
fol.31.p.2.uer.24.iam.
fol.33.p.1.uer.4.nobis.
Et uer.17.habentur.
Ibidem p.2.uer.11.adeoq;.
fol.36.p.2.uer.9.At.
fol.37.p.1.ostendit.
fol.39.p.2.uer.5.seipsum.
fol.43.p.1.participet:is pariter & rei ipsius per signum.&c.

Ibidem

Ibidem.p.2.uer.14.me.
fol.46.p.1.uer.10.11.at nemo eorum.
fol.50.p.1.uer.24.liceret.
fol.51.p.1.uer.9.Sacramentales.
fol.53.p.1.uer.4.coniungatur.
fol.54.p.1.uer.21.idq̃.
fol.55.p.2.uer.18.ſigna.
fol.56.p.1.uer.14.indicia.
fol.59.p.2.uer.7.locus.
fol.60.p.1.uer.9.auitus ille error.
Ibidem uer.17.legalibus.
Ibidem uer.24.dubie.
fol.62.p.2.uer.1.illud,redundat,tollendũ
fol.64.p.2.uer.23.indulgentia.
fol.75.p.1.uer.27.Aures.
Ibidem p.2.uer.11.pendet.
fol.77.p.2.uer.11.præco.
fol.80.p.2.uer.16.fratres:quòd is in carne nostra mortem nostrã ſua morte,&c.
fol.83.p.2.uer.10.noſtro.
fol.84.p.1.uer.9.quia.
fol.85.p.1.uer.12.in princip.etiam.
fol.86.p.2.uer.1.aſcenſurus.
fol.87.p.1.uer.13.prædicationi.
fol.88.p.1.uer.5.fidelibus.
Ibidem.uer.13.apponitur.
fol.90.p.1.uer.8.recipit.

Ibidem

Ibidem uer.16.mouent.
fol.91.p.2.uer.10.nomine.
fol.93.p.2.uer.12.confiderem.
Ibidem.occaſionem uidelicet plura.
Ibidem uer.17.adiuuent.
fol.95.p.1.uer.21.ſyncerã,in quam,&c.
Ibidem p.2.uer.8.connectimur.
fol.102.p.2.uer.16.reconciliamur.
fol.103.p.1.uer.10.proſit.
fol.104.p.2.uer.3.ſine.
fol.109.p.1.uer.15.æſtimari.
fol.110.p.2.uer.2.Quia.
Ibidem uer.7.pro tuo in me.
fol.111.p.1.uer.14.baptizatam.
fol.112.p.1.uer.12.ſumunt.
fol.119.p.1.uer.24.& hoc dicunt.
Ibidem p.2.uer.11.ut ubi ſit.
Ibidem uer.16.hanc myſteriorum.
fol.120.p.1.uer.17.utrosq;.

# DE CHRISTI DOMINI ET CATHOLICAE ECCLESIÆ SACRAMENTIS LIBER.

DE SACRAMENTIS à Christo Domino & redemptore, Rege, & Pōtifice nostro maximo traditis, & ab Ecclesia Catholica, Christi Sponsa, sanctè & legitimè usurpatis obseruatisq; , ipso Domino aspirante scripturus: ante omnia excutiam rei uocabulum. deq; certa signi significatione constituam, ubi mihi condonabunt pij Lectores, si paulò prolixior fuero. Spero enim hunc laborem meū non omni fructu cariturum.

# DE SACRAMENTIS

## CAPVT PRIMVM: De signis, eorumq; generibus & differentiis.

*Signum quid.*

IGNVM APpellant Latini scriptores, notã representationem, uestigiũ, indiciumq; rei significantis. Nam Fabius Instit. lib. 5. Cap. 9. Signum, ait, uocant σημεῖον, quanquam id quidam indicium, quidam uestigiũ nominauerunt, per quod res intelligitur, ut per sanguinem cædes. Similia tradit Tullius de Inuẽt. li. 1. At Aurelius Augustinus scriptor Ecclesiasticus nobilis, de Magistro cap. 4. Dicimus ea, inquit, signa uniuersaliter omnia, quæ significant aliquid: ubi etiã uerba esse inuenimus. Idem de Doct. Christi li. 2. ca. 1. dicit: Signum est res præter speciem quam ingerit sensibus, aliud aliquid ex se faciens in cogitationem uenire: sicut fumo uiso, ignem subesse credimus.

*Diuisio signorum*

Distinguit idem ille signa, in signa naturalia & data. Naturalia uocat quæ sine uoluntate

luntate atq; ullo appetitu significandi præ- ter se aliquid aliud ex se cognosci faciunt, sicuti est sumus, significans ignem. Nō enim uolēs significare id facit. Data sunt, inquit, quæ sibi quæq; uicissim dāt, ad demonstrandos quantum possunt motus animi sui, uel sensa aut intellecta quælibet. Et data quidē signa rursus distinguit per sensus. Alia enim ad oculos pertinent, ut sunt uexilla & signa ducum, motus nauium & omnium membrorum. Alia ad aures, ut sunt tuba & tibia, & ipsa denique uerba quæ inter homines obtinuerunt primatum significandi. Ad odorem refert, illum odorem unguenti Euangelicum, quo Dominus aliquid significare uoluerit. Ad gustum retulit Cœnam Domini. Sacramento enim sanguinis & corporis sui, inquit, prægustate, significauit quod uoluit. Addit & exemplum ad tactum. Et cum mulier tangēdo fimbriam uestimenti eius salua facta est, nonnihil significat. Sic Augustinus de signorum generibus & differentia disseruit. ex Augustino. Ioan. 12. Marc. 14. Mat. 9.

Signa secundū tēpora distincta.

Alij uero signa iuxta temporum rationem distinguunt. Dicunt enim signa quidem alia esse rerum præsentium, alia rerum præ-

teritarum, alia uerò rerum futurarum imp. præsentium signa putant, quæ significant res esse præsentes: ueluti hædera suspensa indicat uinum ibi uendi. Signa quæ patrabat Dominus noster, significabant adesse Messiam: & regnũ Dei à Prophetis promissum. Sub præterita signa referunt omniũ defunctorum monimenta, & lapides illos in Iordane erectos à Iosue: posteritatati significantes quid præteritis esset actum temporibus. futurarum rerum signum dat, uellus Gedeonis: futuræ scilicet uictoriæ signum.

Iosue. 4.

Iudi. 7.

Signorum alia ab hominibus data, alia à Deo instituta.

Cæterum mea quidem sententia, poterant signa planius & dilucidius diuidi: in signa, quorum alia quidem ab hominibus data, alia uerò ab ipso Deo instituta sunt. Ab hominibus dantur signa ceu notæ, quibus aliquid significant aut designant: quibus deniq; aliquid apud homines in memoria retinent: aut quod certum & firmum esse uolunt, obsignant. Hac ratione omnis descriptio & pictura demonstratiua, dicitur signum. Nam Ezech. 4, picta Hierusalem dicitur signum, uetustas quoque mortuorum imagines signa appellauit, quod iis uellent memoriam eorum, quorũ signa dicebantur,

Signa ab hominibus data.

refri-

refricare, & superstitem quasi retinere. quin ipsa etiam scriptura sancta, idola appellat signa: sicut uidere licet Esa. 45. & 2. Paral. 33. Ita lapides quoq; ad significandum aliquid sunt positi: cuiusmodi sunt limites agrorũ, & omnia monimenta, signa sunt. Rahab illa Hierichunitina ad exploratores dicit Israẽlitas: Date mihi signum ueritatis, quod mecũ facturi sitis misericordiã. Et dederũt illi funẽ suspensam è fenestra. En fidei & ueritatis signum erat funis: quo illi uelut obsignabant, seriò & uerè, se Rahab incolumitatem seruaturos & curaturos. Germani huius modi signa fidei & ueritatis gratia uel data per accepta, nuncupamus, vuotzeichen. quia uerbis adduntur, & ea ueluti obsignant, & vuarzeichen, quia his uelut attestamur bona fide executuros, quod uerbis promisimus: neque ullum hic subesse dolum malum. Iosue. 2.

Sunt aũt huiusmodi signa uarij generis: Alia enim muta sunt, & pertinent ad sensum oculorum: cuiusmodi sunt militaria signa, cruces, fasciæ, uexilla, accensi ignes: quorum mentio fit. Num. 2. Psalm. 73. Neq; enim quisquam huius generis enumerauerit Signorum ab homine datorũ uarietas.

omnia. Nascuntur enim noua subinde pro
Mat. 26. cuiusuis hominis arbitrio. Iudas suis dabat
signũ: Quemcunq; osculatus fuero, ipse est,
Gal. 2. tenete eum. Consertio dextræ quæ ad sen-
sum tactus pertinet fidei, auxilij & com-
munionis signum est. & ipsum signum
mutum: quòd Paulus appellauit signum so-
cietatis. Hinc pertinent uarij motus & ges-
tus. Alia uero ex his uocalia sunt: quæ aud-
ditu percipiuntur ædunturq;, uel pro huma-
nas, uel per inanimatorum uoces. Humana
uoce æduntur uerba, sibilus, & quæ alia sunt
huius generis. Quò pertinent uocales illæ
tesseræ, qualis illa Iudicum. 12. Schiboleth.
Iudi. 12. Porrò inanimes uoces sunt, quæ fiunt per
tubas, tibias, cornua, tympana, bombardas,
per pulsum campanarum, & per instrumen-
ta sonora, quæ & ipsa longissimè latissimèq;
patent.

Signa à Deo data. Iam uero dantur signa à Deo in hoc, ut
instruant admoniantq; rerum futurarũ, aut
etiam præteritarũ, uel ut res ipsas quarum
signa sunt, quodammodo spectatorum ocu-
lis subiiciant, & similitudine quadam repræ-
sentent. uel ut promissiones & uerba Dei
obsignent uisibili aliqua cæremonia, ab hos

minibus

minibus diuina institutiõe celebrata. ut deniq; fidem nostram exerceant, & dispersos colligant in unum aliquem Cœtum.

Sunt autem hæc non eiusdem inter se generis, ac manifesta inter se habent discrimina. Quædam enim oriuntur causis naturalibus, & dantur tamen à Deo signa, quæ præteritas res renouent, hominesque admoneant: cuius quidem generis est iris apud Mosem. Gene. 9. Nam peracto diluuio, dum Deus cum Noë repararet fœdus, ac fœderis signum instiiueret: iridem, hanc non condit de nouo, sed iam olim conditam & causis orientem naturalibus, noua institutione consecrat: ut diluuium in memoriam reducat, promissionemq; Dei ueluti reparet, nunquam uidelicet futurum ut terra absorbeatur aquarum inundatione. Interim non habet hoc signum ullam ceremoniam, qua celebretur inter homines, institutam: nec colligit nos in ullius corporis cœtúsue societatem. Imò refertur signum hoc ad Deum maximè dicentem. Erit arcus in nube, quem cum uidero, recordabor fœderis æterni, inter me & uos initi. Huic nõ dissimilia prorsus sunt, signa inq̃ in Sole & Luna

Varietas signorum datorum à Deo.

Portenta & ostẽta.

Luna & stellis, quibus homines cœlitus præmonentur futurarum calamitatum, nisi emendentur per pœnitentiam. Sed ne hæ quidem ullam habent ceremoniam institutam ad celebrandum aut colligendum. Sunt rursus signa planè miraculosa non naturalia: licet in ipsis & naturalia quædam concurrãt. cuius generis esse uidetur Gedeonis uellus, & umbra horologij recedens in solario Ezechiæ Regis. Hæc uero ut semel facta legũtur, ita nullam habent institutionẽ quæ iubeat imitatione & in certum aliquem finem celebrare. Adhibebantur tunc ad futuram uictoriam & sanitatem significandam & attestandam. Ex integro & merè miraculosa sunt quæ à Domino Marci ulti. appellantur signa: beneficia inquam sanitatis & linguarum, hominibus nulla humana uirtute aut medicatione, sed solius Christi præsentia, collata. Declarabatur iisdem ueram & indubitatam esse prædicationem Euangelij, qua annunciatur Christus Dominus esse uniuersorum, Dominus, uitæ & mortis, Sathanæ & ipsius etiã inferni. Iam enim cũ in nomine Christi resurgunt mortui, & cedunt depulsi morbi, his ipsis signis approbatur

Miraculosa signa.

Esa. 38.

tur uerum esse quod dicitur, Christum esse Dominum uniuersorũ. Sic Mosis & Aarõnis prodigia in Ægypto patrata. Exod. 4. à scriptura appellantur signa. Erant enim testimonia & missionis legitimæ à Deo, & potentiæ contra Ægyptum exercendæ ingentis. Verum non habebãt & illa ullam ceremoniam, non colligebant in ullam societatem. Iam uero legimus & signa quædam paradigmatica esse, exhibita quidem ab hominibus, sed non sine præcepto Dei, ut posint hæc quoq; signa à Deo data dici. Sunt illa à miraculis prorsus aliena, ac petita quidem non modo à rebus naturalibus, sed etiam uulgaribus planè. qualia fuisse leguntur Ieremiæ sancti Prophetæ iugũ, hydria, atq; catenæ: quibus Domino iubente res seruonem copiosè expolitas, nunc etiam hypotyposi ac subfiguratione aliqua (signo inquam uisibili) hominum oculis quasi inspiciendam voluit subiicere. Paria uidere licet & apud Ezech. in ca. 17. & 24. Signa paradigmatica. Ierem. 27. 19. 28.

Habent autem hæc signa paradigmatis ea similitudinem quandam cum Chriis actiuis, imò sunt Chria quædam mixta. Chriam actiuam finiit Aphthonius, quæ actione alia Chria.

quid declarat aut demonstrat: ueluti cum Pytagoras interrogaretur quãta nam esset uita hominum? is autem breui momento se conspiciendum præberet, mox autem subsidens se subduceret à conspectu hominum, eo modo eaq; actione significans uitam hominum esse breuem & momentaneam. Cæterum in Sacris proponuntur fermè Chriæ mixtæ, sermone & actione constantes: ueluti cum Dominus producto in mediũ puello, hæc insuper uerba adiicit: Amen dico uobis, nisi conuersi fueritis & efficiamini sicuti puelli, non ingredietnini in regnum cœlorum. Huius modi autem Chriæ aut signa non habent institutionem & præceptum Dei, iubentis hanc ipsam actionem solenni celebritate repetere. Habent tamen cum his cognationem aliquam sacramenta alia signa, Baptismus scilicet & Cœna Dominica. Nam diuinitus quidem nobis data, & à rebus petita sunt naturalibus, citra ullum miraculum, imò in rebus naturalibus sensibilibusq; & maxime uulgaribus instituta sunt, aqua, pane, & uino. Habent hæc cum aliis à Deo datis signis communia, quod renouant res præteritas, adumbrant etiam futuras, & similitus

Matt. 18.

Signa Sacramenta alia secernuntur ab aliis signis, cum quibus multa ha-

militudine repræsentant res significatas. bent eccl
Habent peculiare quò differunt ab aliis, munia.
quod adiuncta habent ceremonias, quas ip
se Dominus Ecclesiam suam celebrare iuſ
sit. habent & hoc particulare, quod obſig
nando promiſſa Dei, nos Deo & cum omnis
bus ſanctis uiſibiliter coniungunt. De his
porrò deſeremus paulò fuſius & diligẽtius.

## CAPVT SECVNDVM.

De ſignis ſacramẽtalibus, quæ & ſacramenta & myſteria & ſymbola appellantur: quid ſint, & quare ſic uocentur.

SIGNA ſacramentalia Chriſti & Eccleſiæ Chriſtianæ, quæ uidelicet Chriſtus Dominus Eccleſiæ ſuæ tradidit, Eccleſia autem Chriſtiana accepit ipſa & religioſiſſimè cuſtodit, à ſcriptoribus Latinis appellantur Sacramenta. At uocabulũ hoc nullibi extat in tota ſcriptura ſancta, niſi quod eo uſi leguntur interpretes: uocabulũ autem ſigni frequens eſt, ac quod noſtrum attinet inſtitutum ſignificantiſſimè ponitur Gen. 17. & Sacramentum.

Rom.

Rom. 4. interim uocem Latinam Sacra mẽtum nec abhorrentes reiicimus, neq; reiicientes nouam cõminiſcimur. Placet uox Sacramentum, modo ea quis utatur legitimè. S. Auguſt. Epiſtola ad Marcellinum. 5. Lõgum eſſet, diſputare, inquit de uarietate ſignorũ, quæ cum ad res diuinas pertinent, ſacramẽta appellãtur. Hinc petita eſt haud dubie uulgaris illa deſcriptio aut conſignatio. Sacramentũ eſt rei ſacræ ſignum. quæ quidem ut reiici non poteſt, ita nemini obſcurum eſt, ea rei naturã plenè nõ cõprehendi exprimiuè, aut ab iis quæ & ipſa ſacra ſunt ſigna, diſtingui. Profertur ergo alia, certè exactior definitio. Sacramentum eſt inuiſibilis gratiæ uiſibilis forma. Quoniam uero & hoc non uſquequaq; rei naturam exponit: melior multis uiſa eſt, quæ ſic habet. Sacramenta ſunt ceremoniæ quibus exercet populum ſuum Dominus, ad fidem primum excitandam fouendamq;, deinde & ad teſtificandam apud homines religionem. Quid uero ſi paulò copioſius liberiuſq; ſic finias?

Quid ſit Sacramentum.

Sacramenta ſunt actiones ſacræ, uerbis ſiue promiſſionibus Euangelicis & ritibus præſcriptis cõſtantes.

Eccle-

Ecclesiæ diuinitus in hoc tradita, ut Euangelicam prædicationem attestẽtur atq; obsignent: fidem exerceãt, rebusq; terrenis & uisibilibus magna Dei mysteria repræsentent & ob occultos statuant, denicq; ut Ecclesiã uisibiliter colligant, suicq; admoneant officij. *Est sanè longè petita, diffusa & multiplex, multis inquam ex partibus collecta definitio: uerum libet aperte agere, & rem totam semel oculis conspiciendam proponere. singula deinceps per partes illustrabimus, & scripturarum testimoniis confirmabimus.*

*Iam ut de uocabulis huic rei inditis plenius differam, uideo Latinos scriptores Sacramentum dixisse iusiurandum aut religionem obligationem: quod hic quibusdam, opinor, ceremoniis perageretur. Marcus Varro linguæ Latinæ li. 2. explicans quid sit sacramento cõtendere. Qui petebat, inquit, quicq; inficiabatur de rebus aliis. utriq; quingentos æris ad pontem deponebãt, de aliis item rebus certum numerum assium: qui uero iudicio uicerat, suum Sacramentum à sacro auferebat, uicti ad ærariũ redibat. Quia itaq;* Sacramentum pro iureiurando.

sacris

sacris interpositis, Deo & omnibus sanctis per participationem sacramẽtorum obligamur, adeoq; & Deus se nobis ueluti in reiurãdo obstringit sacramentorum testimonio, Sacramenti uocabulum appositissimè signis nostris inditum apparet. Legitur apud Latinos scriptores & de militari quodã sacramento. Non enim pugnare phas erat, nisi sacramento adactis. Conceptis autem uerbis iurabant se omnia strenuè facturos (ut ait de Re Militare Vegetius) quæ præceperit Imperator, nunquam deserturos militiam pro Republica Romana. Dabatur donatiuũ ueluti pignus & authoramentum: dabant nomina, signabantur notis. Iam quia nos nostris sacramentis recipimur & inscribimur in militiam Christi, & sacramentis sumptis nos attestamur esse Christi milites, inde nimirum Christi & Ecclesiæ signa dici cœperunt sacramenta.

Sacramentum militare.

Misteriũ quid.

Eadem appellantur à Scriptoribus Ecclesiasticis, Mysteria. quæ ferè interpretantur sacra & religiosa arcana. arcana inquam sacra, à quarum celebratione excludebant prophanum uulgus. Nam dicta uidentur mysteria (Authore in Lectio. Ant. Cœlio)

Cœlio) δεῖ μύστας ἱερὸν ἔνδον, quod oportet occludentes, siue qui concluſi ea peragunt, cuſtodire intus ac nulli proferre prophano: unde rectè uocauerimus Myſteria ſecluſa & arcana ſacra: ſolis initiatis cognita, ſolisq; celebranda ſanctis. Libenter autem hac uoce in Epiſtolis ſuis utitur Paulus. Ac ratio patet, cur attributa ſit hæc uox ſacris Chriſtianæ Eccleſiæ ſignis. Hæc enim ſolis nota ſunt fidelibus, excluditq; prophanos. Certè prædicatio Euangelica dicitur myſterium regni Dei: nimirum quod excluſis impuris, perſpectum ſit ſolis Dei filiis. Dixit enim Myſtagogus ille noſter: Ne proieceritis margaritas ante porcos: neq; dederitis quod ſanctum eſt canibus. Et Paulus: Quod ſi adhuc uelatũ eſt (ait) Euangelium noſtrum, in his qui pereunt, uelatum eſt. in quibus Deus huius ſæculi excæcauit ſenſus incredulorum. 2. Cor. 4. Mat. 13. Ephe. 3. Mat. 7.

Porrò ex Græcis Eccleſiæ deſcriptoribus plerique ſacramenta noſtra appellarunt σύμβολα, quæ uox & à Latinis recepta eſt, & uſurpata frequentiſſimè. Deducitur ea à συμβάλλω, id eſt, confero. Collatione autem illuſtrantur, Symbolũ quid.

& rectè perſpiciuntur ſymbola. Significat ergo ſymbolum quod relationem habet ad aliud: quemadmodum dicimus ſignum militare. At uarius quidē fuit olim ſymbolorum apud Græcos uſus. Habebant enim in ſacris, ſua ſymbola, ſigna inquā allegoricè aliquid inſinuantia: ut in ſacris Bachi ſymbolū erat, quod circumferebant Bachantes cribrum: ſignificantes utiq; ebrios eſſe futiles. Quid quod ſententiæ reconditioris aliquid ſenſu comprehendentes, per allegoriā aut ænigma, ſymbola dici cœperunt? Nam nota ſunt ſymbola Pytagoræ. Ita myſtica theologia nuncupari cœpit ſymbolica: nimirum myſteriis implicita ſecretioribus. Inde ſymbolum eſt, quod ænigmaticum & allegoricum eſt: longè aliud habens in receſſu, quam fronte promittat. Rurſus ſymbolum dicitur, quod inter ſponſum & ſponſam ex mutuo conſenſu interponitur, fidei munus: ne liceat à pacto recedere. Denicq; dabātur militibus, ſub iiſdem ſignis merētibus, ſymbola. Dabantur item in quibuſdam urbibus amicis, ad uicinas & ſocias urbes concedere uolentibus, ſymbola: hoc eſt, teſſeræ, quibus uiſis intelligebant offerentem humaniter eſſe tractandum

ctandum, ueluti socium & amicum singulare rem. Veteres itaq; symboli uocem sacramentis nostris accommodauerunt, quod hæc nobis maxima Dei mysteria repræsentant, allegorica & ænigmatica sunt, quod denique ipse Dominus sacramentorum institutione se nobis, nos illorum communione, ipsi, & omnibus sanctis obstringimus: testificantes & palàm profitentes nos strenuè sub signis Domini militaturos. Præterea admonet nos sacra symbola dilectionis fraternæ: ut memineri mus eos qui nobiscum de eadem mensa participant, & eodem abluuntur baptismo impensissimè ut filios Dei & fratres nostros esse diligendos. Hec de Sacramentis: quid sint, quibus uocentur nominibus, & quare sic nuncupentur. consignasse sufficiat.

## CAPVT TERTIVM:

### De authore sacramentorum, & quas ob causas instituta sint.

EXPONENDVM autem ante omnia uidetur à quo authore profecta sint sacramenta: & quas ob causas instituta. Conse ssum est

Solus Deus author.

apud omnes fere, solum Deum posse instituere sacramenta, non homines: non ipsam quoq; Ecclesiã. Est enim inter Scholasticos qui submonet Ecclesiam, ut meminerit se non esse dominam Sacramentorum, sed ministram, nec posse hanc magis instituere formam sacramentalem, quam legem aliquam diuinam abrogare. Sed & Aquinas parte. 3. Quæst. 64. Articulo. 2. Ille instituit (inquit) aliquid, qui dat ei robur & uirtutem: sed uirtus sacramenti est à solo Deo: solus itaq; Christus potest instituere sacramenta. Et reuera solus Deus cultum legitimum instituere potest. Pertinent autem sacramenta ad cultum, unde solus Deus sacramenta
Esa. ult. instituit. Si quis in ueteri Testamento obtulisset sacrificium non præceptum à Domino, nec obtulisset eo modo quo iusserat immolare Dominus: non modo nihil utilitatis inde percipiebat, sed insuper committebat piaculum pœna expiandum longè funes-
Leuit. 10 stißima. Quis enim ignorat filios Aarõnis ignem alienum offerentes, cœlitus delapsa flãma horribiliter esse crematos? Displicent ergo Domino, ceu prophana, neq; legitimè sacramenta Dei dici merentur quæ non habent

bent ipſum Dominū authorem. His accedit quod ſacramenta diuinæ erga nos uoluntatis & beneuolentiæ teſtimonia, & quaſi ſigilla ſunt. At quis oro melius, rectius, & certius de diuina uoluntate teſtabitur, quàm ipſe Deus? Sigillum Dei neutiquam appellari & haberi meretur, quod ab ipſo Deo non eſt appenſum aut impreſſum. imò adulterinum eſt ſigillum, quod à Deo non eſt profectum, attamen Dei nomine ueneditatur. Iam & S. Auguſt. quod omnium in ore uerſatur, dixiſſe legitur. Accedit uerbum ad elementum, & fit ſacramentum: unde colligimus in ſacramentis potißimas partes habere ipſum Dei uerbum. uerbum inquam non hominū, non Eccleſiæ, ſed Dei. unde denuò ſequitur, ſignum proficiſci oportere ab ipſo Deo, non ullis hominibus quantumuis multis, doctis & ſanctis: ut iam alius author ſacramentorum eſſe nequeat quàm Deus ſolus.

Sacramenta ueluti

Quemadmodū uero recipimus uerbum ſalutis & gratiæ, ita neceſſe eſt nos accipere & ſigna gratiæ. Licet uerò uerbum Dei nobis annuncietur ab hominibus, non tamen illud amplectimur tanquam uerbū hominis, ſed ueluti uerbum Dei, juxta illud Apoſtoli.

ex manibus Chriſti accipienda.

1.Thes.2. *Cum acceperitis à nobis sermonẽ, quo Deũ*
*discebatis, accepistis non sermonem homi*
*num, sed sicut erat uerè sermonem Dei. Spe*
*ctare enim nos conuenit primum authorem,*
*qui ablegatis discipulis suis, dixit. Ite in or*
*bem uniuersum, & prædicate Euangelium*
Marc. 16 *omni creaturæ, docentes eos seruare omnia*
Mat.28. *quæcunq; præcepi uobis. Qui autem uos*
Luc.10. *audierit, me audiuit: qui autem uos repules*
*rit, me repulit. Ideoq; tametsi hominum*
*manibus ad ministrentur sacramenta, à reli*
*giosis tamen illa non percipiuntur tan*
*quam ab hominibus, sed uelut à manu ipsius*
*Domini, primi sacramentorum authoris.*
Mat.21. *Huc enim pertinet, quod in Euangelio le*
*gimus: quæsiuisse Dominum. Baptismus Io*
*annis è cœlo ne an ex hominibus erat? Certe*
*Ioãnes qui baptizabat, homo erat: sed quod*
*baptizabat, ex institutiõe Dei baptizabat:*
*erat itaq; baptismus Ioannis è cœlo, licet ac*
*qua flueret ex abysso in alueo Iordanis, ac*
1.Cor. 11. *Ioannes ipse uersaretur in terris. Huc præ*
*terea pertinet, quod Paulus diserte pronũ*
*ciauit. Ego enim accepi à Domino, quod &*
*tradidi uobis. Quanquam ergo homo es*
*set Paulus, & homo quidem peccator, quod*
tamen

tamen tradebat Ecclesiæ, non ex seipso aut ullo inuento humano tradebat, sed ex traditione Christi: ut iam traditio, Christi sit traditio, diuina & cœlestis. Prætereà operatur uel hodie in Ecclesia sua summus ille & æternus Pontifex noster, cuius ministerio funguntur, id est, cuius nomine baptizant, & cuius institutione sacrum exhibẽt conuiuium, qui sunt dispensatores mysteriorum Dei. Opus ergo illius ingenuè agnoscendum est à nobis omnibus. Hæc autem de sacramentorum authore hactenus.

Causas institutionis sacrauentorum, cur uidelicet res spirituales & cœlestes nobis traditæ aut commendatæ sint, sub signis aut specibus ritibusq; uisibilibus. Lombardus in Sententiis tres numerat: quarum prima ita friget ut eam pigeat commemorare. Meritum enim in eo constituit, quod Dei imperio, ut ait, salutem homo quærit in inferioribus se: quibus mox addit. Etsi non ab illis, sed per illa à Deo. satis quidẽ & illud ipsum effutiens inexpensum. Reliquæ duæ, nempè quod propter eruditionẽ, & propter exercitationem inuenta sint, non prorsus absurdæ esse uidentur. Verissima & maximè

Cur sacramenta nobis institutis rebus uisibilibus.

propria causa cur sacramenta sint instituta sub signis uisibilibus, uidetur esse diuina partim bonitas, partim humãa imbecillitas. Difficulter enim intelligimus res diuinas, atq; cœlestes: si absq; inuolucro aliquo, ita ut natura sua sunt, puræ & illustres, proponantur, rectius aũt faciliusq; intelligũtur, si suffigurẽtur nobis per terrena: hoc est per signa nobis familiariter cognita. Proinde sicuti parabolis benignus Dominus negotiũ regni Dei obtexit, imò illustrauit ornauitq; : ita symbolis quoq; idẽ ipsum negotiũ ob oculos quodãmodo statuêre, & quasi in picta tabella demõstrare, refricare, renouare & repræsentare uoluit. Hanc (ut maximè propriã) causam agnouit, & Ioã. Chrys. qui Hom. in Mat. 83. Nihil sensibile (inquit) tradidit nobis Dominus. Res quidẽ sensibiles sunt, omnia tamen intelligibilia. Sic in baptismo per rem sensibilẽ datur aqua: quod aũt perficitur, nempè regeneratio & renouatio, mẽte percipitur. Nam si tu incorporeus esses, nuda hæc tibi tradidisset omnia dona: quia aũt corpori cõiuncta est anima tua, in rebus sensibilibus ea quæ mẽte percipiũtur, tradidit. Id quod non ideò adduco, quod humano innis

Chrysostomus de causa sacramentorum.

tar testimonio: sed quod uidea D. Ioā. Chrysost. obseruato scripturarū more ita esse locutum. Quis enim nesciat sacra literas, parabolis, similitudinibus, allegoriis, symbolis eisq; scatere locutionibus? quibus sanè Dei spiritus utitur non propter semetipsum, sed propter nos. Notissimū enim est illud Domini in Euāg. cum Nicodemo de regeneratiōe cœlesti. Per imuolucra aëris & aquæ disputātis atq; dicētis: Si terrena dixi uobis, & nō creditis: quomodo si dixero uobis cœlestia, credetis? Atqui appellauit Terrena, doctrinam illam suā de regeneratione cœlesti per terrena symbola aquæ & spiritus, siue aëris & flatus suffiguratam: per Cœlestia uero illam eandem intellexit doctrinam de regeneratione cœlesti, sed extra imaginationem, similitudinem, aut symbola nude traditam. Significauit ergo Dominus facilius capi ab hominibus doctrinā rerum cœlestium, imuolucro aliquo tectam: quam undè & spiritualiter plenè traditam. ut facillimè ex collatione rerum non admodum disparium, colligi posßit, non alia causa & sacramēta diuinitus esse inuenta: q̄ perspicuæ demonstrationis & illustrationis rerum cœlestium gratia. In Ioan. 3.

Analogia

quare, obseruanda uenit analogia, quæ est aptitudo quædam, proportio, seu ut Cicero uocauit conuenientia, rerum inquam signis sic agnatarum, ut sine ea leuiter transmissa ratio Sacramenti plenè non intelligatur, excussa autem & ad plenum obseruata: ἀναγωγὴν, hoc est, intelligentiam recondi tiorem, sine labore offerat contemplant. Exemplis id fortè in rerum tractatu illustrabitur diligentius.

Laudandus Dominus propter institu ta sacramenta.

Quisquis ergo exactè hanc sacramentorum inuentionem expenderit: non potuit non laudibus insignem Domini uebere bonitatem, quæ mysteria regni Dei non tãtum recludit miseris mortalibus, sed rationem quoq; habet infirmitatis humanæ singularem, qua nobis condescẽdens, nobiscum quodammodo balbutit. dum uidelicet mysteria cœlestia terrenis adoperta symbolis, pro captu nostro formans, & declarat significantißimè, & quasi oculis contemplanda subiicit. In eadem hac sacramentorum institutione laudare etiam licet diuinam sapiẽtiam: si modo licet paruis cõponere magna. Nam hic mos in mundo quasi pro lege receptus est, quod sapientißimi quiq; maxi-

Sapientia Dei relucet in sacramentorum institutione.

ma

ma ſapientiæ myſteria, non uerbis modo ſed & ſymbolis adiunctis, ſuis commendarunt auditoribus. nimirum ut duo ſenſus nobiliſſimi in homine, auditus & uiſus, ſimul percellerent & permonerent grauius efficaciuſq;. Plena ſunt exemplis prophanorum Gentiliū uolumina. Quid quod ueteri quoque Dei populo omnia ferè tradita eſſe in figuris ipſe Apoſtolus Paulus aſſerit? 1. Cor. 10.

Mos ſanciendorū fœderum.

Rurſus quando in fœderibus ſanciendis, aut in feriis magniq; momenti pollicitationibus confirmādis, homines ſigna ueritatis, gratia fidei conciliandæ promiſsis, interponunt: id circo Dominus hac quoq; in re morem humanum imitans, fœderi ſuo æterno, & promiſsionibus uitæ, ſigna adiecit fidei & ueritatis. ipſa inquam ſacramenta: quibus promiſsiones ſuas ipſamq; Euangelij ſui doctrinam obſignat. Nec hoc ipſi rarum aut nouum eſt. Iurant homines per ipſum Dominum, dum alios de ueritate promſsionum ſuarum uolunt reddere certos atque ſecuros. iuraſſe ergo legitur & Dominus ipſe in ſacris literis, & iuraſſe quidem per ſemetipſum: cum uidelicet promiſsionum hæredibus eximiè uellet oſtendere, ut ait Apoſtolus,

ſtolus: Conſilij ſui firmitatē. Præterea mos fuit priſcis hominibus fœdera ferientibus, hoſtiam diſſecare in partes, atq; per partiū diſſectarum medium tranſire, eaq; teſtari ceremonia, ſublicere diſſectionis ſe pœnæ aut ſupplicio, niſi ſtēt pactis firmißimè. Ad eum uerum modum Dominus cum Abrahamo fœdus initurus aut reparaturus, quod Gene.15. Moſes copioſè deſcribit Gene.15.Ca. Iubet Abrahamum buculam, capram, & arietem, triennes, diſſecare, & partes ex oppoſito collocare, quod cum feciſſet Abraham, ipſe Dominus ſub ſpecie lampadis, aut facis ardentis, per partes illas medius tranſiuit. ut indè intelligeret Abraham, terram Chanaan certo ipſius ſemini fore tradendam: neque quicquam eorum, quæ ea pactione promiſerat Dominus, irritum futurum. Quando ergo bonus & uerax Dominus ſemper ſui ſimilis eſt, & tunc quidē eo quo diximus modo ſe ſuæ attemperauit Eccleſiæ: quid mirū aut nouum obſecro, ſi nobis quoq; ſub rebus uiſibilibus ſignacula ſuæ gratiæ & myſteriorum regni Dei reliquit? Atq; hæc hactenus de ſacramentorum cauſis præcipuis, ob quas inſtituta ſunt diſſeruimus.

CAPVT

## CAPVT QVARTVM:
## De ſpecie & numero ſacramentorũ.

AM uero de ſpecie & numero ſacramentorũ, qui locus, præcedenti proximus eſt, uaria diſputata ſunt à ſcriptoribus, poſtremi tẽporis maxime. Priſcis enim res illa, utpote planiſſima perſpectiſſimaq; paucis abſoluebatur. Atqui ſcripturas præ- Species ſacramẽtorum.
ueſtiganti, uidentur alia quidem ueteris, alia uero noui Teſtamenti ac populi eſſe ſacramenta. Et ueteris quidem populi ſacra- Numerus
menta fuêre, Circunciſio, Paſcha, & Sacri- ſacramẽtorum.
ficia: quanquam enim propter hæc & alia extiterint, fuerunt tamen hæc præcipua. Noui autem populi numerant ſacramenta literæ Apoſtolicæ duo: Baptiſmum, & Cœnam Dominicam. At Petrus Lombardus ſeptem numerat: Baptiſmum, Pœnitentiam, Euchariſtiam, Confirmationem, Extremam unctionem, Ordinem, & Matrimonium. Hunc ſequitur totus grex interpretum & turba Scholaſticorum uniuerſa.

Cæte-

*Cæterum priſci Eccleſiæ doctores ferè omnes, duo præcipua commemorant ſacramenta. inter quos Tertulianus primo & .4. libro contra Marcionem, & in libro de corona militis, ſignificanter duo tantum recenſet: Baptiſmum uidelicet, & Euchariſtiam. Auguſt. quoque libro de Doctrina Chriſt. 3. cap. 9. Dominus ſignis nos non onerauit, inquit, ſed quædam pauca pro multis, eademq; facilima, & intellectu auguſtiſſima, & obſeruatione caſtiſſima, ipſe Dominus & Apoſtolica tradidit diſciplina: ſicuti eſt baptiſmi ſacramentum, & celebratio corporis & ſanguinis Domini. Idē rurſus ad Ianuarium, Epiſto. 118. Sacramentis numero paucißimis, ait, obſeruatione facilimis, ſignificatione præſtantißimis, ſocietatem noui populi colligauit: ſicuti eſt baptiſmus trinitatis nomine conſecratus, communicatio corporis & ſanguinis ipſius, & ſiquid aliud in ſcripturis Canonicis commendatur. exceptis his, quæ ſeruitutem populi ueteris, pro congruentia cordis illorum & Prophetici temporis, onerabant: quæ in quinto libro Moſis leguntur. Obſeruandum autem uidetur, quod non dicit:*

Et

Et ſi quæ alia in ſcripturis Canonicis commẽdantur: ſed, & ſi quid aliud, &c. Id quod palàm arguit ipſum non de ſacramentis loqui, ſed de obſeruationibus quibuſdam, & receptis & uſurpatis ab Eccleſia: ſicuti & conſequentia in Auguſtino uerba declarãt. Fateor tamen ingenuè eundem alibi & ſacramenti ordinis mentionem facere. ubi tamen illud quoq; mihi expendẽdum uidetur, quod idem ille, & Chriſma, & Prophetiam, & Orationem, & alia quædam huius notæ, non minus quam Ordinem ſacramenta appellat. & quod ſcripturarum ſacramenta idem ſubinde in ore habet. unde claret ſacramenti uocabulum in illius ſcriptis aliter atque aliter uſurpari. Hæc enim ſacramenta uocauit, quod ſacro ſancta ſint, è ſpiritu Dei ſancto profecta: quod ſancta ſint Dei inſtituta ab omnibus obſeruata ſanctis. ut hæc iam differant ab iis ſacramentis, quæ actiones ſacræ ſunt uerbis & ceremoniis conſtantes, conſortesq; in unam colligantes ſocietatem. Sed & Rabanus Maurus diligens Auguſtini lucubrationum Lector, & Epiſcopus Moguntinus, lib. de Inſtitut. Clericorum. 1. Cap. 24. Sunt autem ſacramenta, ait: Rabanus Maurus.

Baptiſ

Baptiſmus & Chriſma, Corpus & ſanguis: quæ ob id ſacramẽta dicuntur, quod ſub tegumento corporalium rerum, uirtus diuina ſecretius ſalutem eorundem ſacramentorum operatur. unde & à ſecretis uirtutibus uel ſacris, ſacramenta dicuntur. Floruit hic circa annum Domini. 830. ut uel hinc colligere liceat, priſcæ Apoſtolicæ Eccleſiæ non fuiſſe plura, quam duo ſacramenta. Ambroſij hic nullam mentionem facio, licet & ipſe in libris ſuis de ſacramentis non tot enumeret, ſicuti enumerauit Scholaſticorum grex, quod libri eius non recipiantur ab omnibus doctis pro genuinis Ambroſij libris. Ita nihil mouebor Dionisij librorũ authoritate: quibus quid doctißimus optimuſq; quiſque tribuat in aperto eſt. Scriptura ſacra unica uitæ & omnium in Eccleſia gerendarum certißima regula: Baptiſmum nobis & Cœnam tanquã ſolennia Chriſti inſtituta, & ſacramenta commendat. Ea ergo ſufficiunt nobis, ut nihil nos moueat, quicquid tandem contra aut præter hæc efferat ingenij humani acumen: quod nullam unquam poteſtatem accepit inſtituendi ſacramenta.

Interea ſalubres ritus & ſalutaria Dei inſtitus

instituta obseruationesq; religiosas Ecclesiæ Christi non contemnimus. Diximus autem aliàs quid sentiamus aut doceamus de Pœnitentia & reliquis illis, quæ Neoterici uenditant pro sacramentis. Ita etiam alio & commodiore loco disseretur de similitudine & differeutia sacramentorum ueteris & noui populi.

Salubres ritus Ecclesiæ nõ contemnuntur.

## CAPVT QVINTVM.

### Quibus rebus constent sacramenta.

VIDEAMVS modo quibus rebus Sacramenta constent, hoc est, quæ sit materia, ut Scholasticorum more loquar, & forma sacramentorũ. Scripturarum & omnium sanctorum testimonio constant è duobus, è signo & re signata, è uerbo & ritu, E promißione Euangelica & ceremonia, è re externa & interna, è re inq̃ terrena & cœlesti (ut habet martyr Christi Irinęus)

Lib. contra hæresis. 4. & 5.

extre uisibilibi & inuisibili, è sensibili & intelligibili. Huc enim pertinet quod D. Ioã. Chrysost. in Matthæum, Οὐδὲν γὰρ, inquit, ἀισθητὸν παρέδωκεν ἡμῖν ὁ Χριστὸς, ἀλλ' ἀισθητὰ μὲν τὰ πράγματα πάντα δὲ νοητὰ. Cæterũ apellauit ἀισθητὰ sensibilia, quæ uidelicet exterius sensibus, utpote uisu, auditu, gustu, & tactu percipiuntur. νοητὰ uero intelligibilia aut mentalia, quæ mente (inquam) intellectu, cõsyderatione & animi discursu aut ratiocinatione: non carnis quidem, sed fidei, percipiuntur. Scripturarum demonstratione res fiet illustrior. Dominus dicit in Euangelio Discipulis suis: Ite in orbem uniuersum, & prædicate Euangelium omni creaturæ: qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Baptizabitis autem in nomen Patris, Filij, & Spiritus sancti. Eadem scriptura Euangelica de Ioanne Baptista dicit. Baptizabat Ioannes in deserto, prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum. Ita & S. Lucas testatur D. Petrum ad Israëlitas dixisse: Resipiscite, & baptizetur unusquisque uestrum in nomine Iesu Christi, in remissionem peccatorum: & accipietis

Signo & re signata constant sacramenta

Marc. 1.

Act. 2.

cipietis donum Spiritus sancti. In baptismo itaque aquæ aspersio in nomen Patris & Filij, & Spiritus sancti: est signum, ritus, ceremonia, ac res externa, terrena atque sensibilis · sensibus inquam patens & exposita. at remissio peccatorum, participatio uitæ, consortiũ cum Christo & membris eius, dona item Spiritus sancti, quæ cõceduntur nobis per gratiam Dei, in fide Iesu Christi: res est significata, interna, cœlestis, ac intelligibilæ illud quod mente fideli percipitur. Scholastici, Materia baptismi, inquiunt, est aqua, forma autem illa: Baptizo te in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Ad eundem modum testificans scriptura & de Cœna Domini altero Ecclesiæ Christi sacramento. Dominus (inquit) Iesus accepto pane, gratias egit, fregit, distribuit Discipulis suis, & ait: Accipite, edite, hoc est corpus meum, quod pro uobis traditur: Similiter & poculo accepto, dixit porrigens: Bibite ex hoc omnes, hic est sanguis meus, qui est noui Testamenti, qui pro multitudine effunditur in remissionem peccatorum. Hoc facite in mei commemorationẽ. Iam itaq; in Cœna Domini tota illa actio

Mat. 26. Luc. 22.

quæ fit ab Ecclesia ad exemplum summi Pontificis Christi: fractio inquam panis, distributio, atq; conuiuium ipsum aut perceptio panis & uini, signum est, ritus, cæremonia, ac res externa siue terrena: ipsum illud sensibile quod patet sensibus. Cæterum intelligibile & res significata interna & cœlestis: est ipsum corpus, traditum pro nobis, & sanguis effusus in remissionem peccatorum. adeoq; redemptio nostra & communio quam habemus cum Christo & omnibus sanctis: & quam habet ille imprimis nobiscum. Scholastici consentiunt Eucharistiæ materiam esse panem & uinum: Formam uero uerba Domini: Hoc est corpus meum, &c. Ex his facilè licebit certum aliquid constituere de uocabulis iam iam huic inditis negotio. Externa enim appellantur signa, quòd sint corporea: foris incurrentia sensibus, quibus hauriuntur. E diuerso appellamus ipsas res significatas internas. non quòd res ipsæ ipsis inclusæ signis lateant: sed quòd internis animi facultatibus per Dei spiritum conceptis percipiuntur. Ita quoq; eadem signa nuncupantur terrena & uisibilia: quod rebus constent

Signa externa, & res internæ.

Signa terrena &

à terra sumptis, aqua uidelicet, pane & uino. & quod in his speciebus corum uideãtur. Porrò cœlestes & inuisibiles dicuntur res significatæ, quòd fructus ipsarum sit cœlestis. quodq; oculis animi seu fidei, non corporis, cernantur. Alioqui enim ipsum Domini nostri IESV CHRISTI corpus & sanguis, quæ in Cœna specie panis & uini repræsentantur fidelibus, suaptè natura non sunt cœlestia aut inuisibilia. Corpus enim Domini nostri sua substantia & natura nostro corpori consubstantiale est: cœleste quidem & ipsum propter liberationem à corruptione & infirmitate, aut propter clarificationem: non naturæ euacuationem aut depositionem, appellatum. Idipsum uisibile est non inuisibile sua natura, residens in cœlis. uidetur tamẽ à sanctis Cœnã celebrantibus, non corporis quidem, sed animi oculis: ideò propter nos inuisibile dicitur, quod in seipso nõ est inuisibile. Iam uerbum in sacramẽtis dicitur, & est diuinæ uoluntatis testificatio, beneficiorũ & promissionum Dei cõmemoratio & renouatio, institutio item & præceptum Dei, quo sacramenti authorẽ, modum & finem ostendit.

uisibilia, res cœlestes.

Verbum & ritus.

Verbum enim in Baptiſmo illud eſt, quod modo recitauimus. Ite in mundum uniuerſum, &c. In Cœna Domini uerbum illud eſt: Accepit Ieſus panem, &c. Ritus autem, cõſuetudo & mos eſt petitus ab exemplo Domini præeuntis actione ſacra: in qua & preces & ea quæ recitantur è uerbo Chriſti, comprehendimus. Nam ut ille panem fregit & diſtribuit: ſimiliter & poculum diuiſit: ita ſancta imitatione & ritu ſacramentali idem imitamur in actione ſacra. ut ille gratias egit: ita & nos agimus gratias. Inuocamus ſuper baptizandos certis precibus auxilium & gratiam Domini: recitamus quos ad negotium baptiſmi pertinere credimus, certos ex Euangelio locos. Idem ſolemus & in celebratione Cœnæ Dominicæ exequi. Verum non eſt inſtituti noſtri fuſè & exactè nunc de ritibus ſacramentorum diſſerere: quos tamen optimos eſſe arbitror, ſi ſint petiti ex Sacris, & modũ non excedant.

Promiſſio & ceremonia.

Alij pro uerbo reponunt promiſſionem, pro ritu ceremoniam. At in uocabulo quidem ceremoniæ nõ uideo ullum periculum: ſiquidem per ceremoniam intelligatur externus ille cultus & ritus, quem ipſe Domi-

nus

nus suo nobis exemplo commendauit, & celebrandum reliquit. Ita nullum periculum esse uidetur & in uoce promißionis, modo per promißionem intelligamus prædicationem Euangelij & commemorationem promißionum diuinarum: quas in prædicatione Euangelij & celebratione sacramentorum recitantes usurpamus. Deum uidelicet nos propter Christum in fide recipere in suum consortium, abluere à peccatis, donare uariis chrismatibus, Christum pro peccatis nostris traditum, effudisse sanguinẽ ad omnium expianda peccata fidelium. Nam in celebratione baptismi, usurpamus uerba illa Domini: Sinite paruulos uenire ad me, talium est regnum Dei: &c. In celebratione conuiuij sanctorũ, recitamus hæc sacra Domini uerba: Hoc est corpus meum quod pro uobis traditur. Hic est sanguis meus qui pro uobis effunditur in remißionem peccatorum. Hoc facite in mei commemorationem. Et reliqua. Sunt enim illæ commemorationes & recitationes promißionũ Euangelicarum, pollicitantium peccatorum remißionem credentibus pro se corpus Domini traditum: & pro se effusum esse sanguinem

nem, quæ sanè fides, uniea & certissima est uitæ & salutis appræhendendæ ratio. Ex iisdem Domini uerbis quilibet intelligit etiam institutionem & finem Sacramenti. Cæterum si promissionem intelligunt pactionem, qua se Dominus singulariter obstrinxerit ac uelut affixerit signis: in quibus aut cum quibus uelit corporaliter, essentialiter, & realiter esse præsens: iam plus dicunt, quàm scripturis demonstrare euincereque possint. Nullubi enim promisit se in signis, aut cum signis corporaliter affuturum. Et uerba Domini: Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus, non rigidè ad literam exponenda sunt: quasi panis & uinum essentialiter seu corporaliter sint corpus & sanguis Christi: sed symbolicè & sacramentaliter. ita ut corpus & sanguis Christi in sua substantia & natura, & in loco suo, in certo inquam aliquo cœli loco maneant: panis autem & uinum, signum uel sactamentum, sint testimonium, aut obsignatio, memoriáq; celebris traditi pro nobis corporis ac effusi sanguinis. Abhorrent, scio, nonnulli, a tropo, in exponendis uerbis salutoris, qui tamen ab iisdem seſe non liberant

De sensu uerborũ Christi, Hoc est corpus meum.

berant expediuntq; absque tropi beneficio. Sed nihil moramur, quomodo illi suum tropum tueantur, aut sese explicare conantes, magis magisq; implicentur. Nos scimus tropos in scripturis exponendis præmodum esse necessarios. Sanè à simplicitate uerborum, non facilè discedendum esse etiam nos clamamus: sed ubi cogit absurditas & scripturarum repugnantia: scimus & pium & necessarium esse recedere à litera. Cogunt autem nos multi scripturarum loci recedere à simplicitate uerborum: Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus. expositione itaq; recedentes à litera, nihil in pietatem peccamus. Principio enim constat, Dominum, in præsenti instituisse Sacramentum. Quis uero neget de Sacramentis iudicandum esse ex similitudine, dicitq; panem & uinum corpus & sanguinem: sicut agnus dicitur Pascha, sacrificia appellantur peccata & sanctificationes? Sed & communis sensus admonet, de sacramentis sacramentaliter & loquendū esse, & sacramentaliter exponi debere quæ de sacramentis sunt prodita. Huc iam faciūt uerba Domini: Hoc facite in mei commemorationem, 1. 2. 3.

quæ non permittunt ut eorum præsentiam realem statuamus, quorum meminisse debemus. Non enim meminisse dicimur eorum quæ realiter & corporaliter præsentia habemus. 4. In Paulo legimus: Quotiescunq; de pane hoc ederitis, & poculo hoc biberitis, mortem Domini annunciatis donec ueniat. Atquis non uidrat inter se pugnare, Cœnam Domini, & καταγγελίαν mortis Domini in fine demum sæculi rursus uenturi: & eundem Christum iam essentialiter exhiberi & 5. sumi in Cœna? Repugnat item ueritas corporis humani in Christo, qui in Euangelio suo dixit: Expedit uobis ut ego uadam, &c. Ioan. 16. Rursus. Iterum relinquo mundum & uado ad Patrem. 6. Quæ sanè uerba agnoscunt Apostoli dicta esse sine omni parabola & sine ullo inuolucro. Si ergo abiuit, & mundum reliquit corpore, quid oro corpus eius adhuc in mundo quærimus? 7. Cum denique Discipuli differerent de manducatione corporis sui, & potando eius sanguine audirent, & modum cogitarent aut imaginarentur edendi aut bibendi carnalē, ille ascēsurum se dixit in cœlum. Ascensio ergo uera Domini docet eleuandas esse mentes in

cœlum

cœlum: & ibi Christum esse quærendum, ubi nunc est. Nam in Euangelio maximè 8.
cauendos & ceu pseudoprophetas fugiendos ipse Dominus suadet, imò præcipit: qui Christum in terris hic & illic, Καὶ ἐν τοῖς ταμείοις ostendunt. Nec est quod hic quidam nebulas nobis sub nomine cœlorum offundant: quasi in cœlum ascendisse Dominum, aliud non sit, quàm conditionem infirmam deposuisse, sumpsisse super naturalē. Nam Lucas, cui plus fidei tribuendum est quàm huiusmodi argutiis, ait, Dominum in altum sublatum esse, & ad cœlos è conspectu Discipulorum subductum. discipulos item defixis in cœlum oculis euntem prosequutos, donec audirent ab Angelis: ita & ad eum omnino modum rediturum eundem, sicuti iam uiderant euntem in cœlum. Quis autem ignorat eundem rediturum in nubibus cœli? Cœlum ergo, loci nomen est, non conditionis ut illi fingunt. Neq; uero as- 9.
censione quicquam ueritatis humanæ aut proprietatis naturæ deposuit Dominus: ut ipsum uel inuisibilem fingere, uel corpore ubiq; esse dicere possimus. Nam de elarificato corpore dicunt Angeli: Non est hic. Luc. 24.

Act. 1.

Ipse quoq; dicit ostensis simul manibus & pedibus, fixuris clauorum insignibus. Videte manus meas & pedes meos, quia ego ipse sum. Contrectate me & uidete, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me uidetis habere. Accedit his quod Apostolus de Resurrectione disputans: Si mortui non resurgunt, inquit, ne Christus quidem resurrexit. resurrexit autem primitiæ dormientium, ergo nos quoq; resurgemus. Claret ergo in nostris corporibus resuscitatis quale fuerit Domini corpus glorioſum, cui conformia nostra fiunt. at cum nostra sint uera, neruis, carne & ossibus constantia, uisibilia non inuisibilia: in loco aliquo certo cœli propter ueri corporis modū non ubiq;: consequens est & Domini corpus non esse inuisibile & ubiq;. ut iam fides nostra cogat tropo aliquo explicare uerba Cœnæ Dominicæ: Hoc est corpus meum, &c. Maxime cum Dominus suis nihil inutiliter instituerit, dixerit autem carnem suam corporaliter mandueatan non prodesse: non de alio utiq; corpore aut carne loquens, quàm de illa ipsa, de qua in Cœna loquitur, quam uidelicet tradidit pro nobis. Nam panis, in-

1. Cor. 15.

10.

Ioan. 6.

qui

quit, quem dabo uobis, caro mea est, quam dabo pro mundi uita. Hanc itaq; corporaliter manducandā non exhibuit in Cœna. His opinor euidenter satis demonstratum esse, hæc sacra Domini uerba: Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus: non esse iuxta Ioan. rigidè exponēda, neq; eadem esse promissionis uerba, quæ polliceantur Christum corporaliter signis affuturū. ac idcirco promissionem in præsenti negotio non accipi oportere, ut illis uidetur, pro pactione, sed pro promissionis renouatione, aut pro commemoratione beneficiorum Christi. ex qua denuiq;, & institutio & finis Cœnæ intelligatur. ut hinc iam clareat, quomodo sacramenta constent promissione siue uerbo: & ceremonia sacra, aut quæ sit (ut isti aiunt) materia & forma sacramentorum.

## CAPVT SEXTVM.

### De uirtute uerborum & uera sanctificatione siue consecratione sacramentorum.

SVNT tamen qui uerbis arbitrantur eam esse uim à Deo inditam ut pronunciata super signa, ipsa sanctificent immutent

immutent, adeoq; res significatas aduehant uel præsentes faciant: & signis ipsis insserant uel includant, aut certè coniungant. Hinc enim exaudiuntur uoces huiusmodi, Aquam baptismi uirtute uerborum regenerare, & uirtute uerborum ipsum panem & uinum in Cœna fieri carnem & sanguinem Domini naturalem. Ac uerbo quidem ac signo constant sacramẽta Christi & Ecclesiæ. At diligenter dispiciendum uidetur, quid intelligi oporteat per uerbũ. Modo dixi uerbum in sacramentis esse, diuinæ uoluntatis testificationem: ipsumq; Dei præceptũ aut institutum Dei, quæ sacramenti autorem, modum, & finem ostendit. Hoc inquam uerbo & præcepto Dei, hac uoluntate & institutione Dei, sanctificantur sacramenta. non quòd uerba à ministris sic pronuntiantur, sicuti leguntur prius ab ipso Domino recitata, aut ab ipsis tradita Apostolis: sed quòd Deus sic uoluit, fecit, & facere iußit. Quod enim Deus facit, aut facere iubet: ipso Dei præcepto aut facto est sanctificatum. Nam omnia quæ fecit, ualde bona sunt. ergo quæ facere iubet, non possunt non esse sancta: quia ipse sanctus est & sanctificator

Quid in negotio sacramentorum intelligatur per uerbum.

eator unicus. Proinde ex natura, uoluntate, facto, aut iussu Dei: non ex pronuntiatione ullorum uerborum, est sanctificatio sacramentorum. Cui iam, ut homini quoq; applicetur ac prosit, fidelis hominum obedientia accedat necesse est. quæ uidelicet omnem fiduciam defigat in misericordiam & potentiam Dei: quæ denic; non contemnat aut respuat institutionem Dei, licet in speciem uilis & cõtempta uideatur. Apparebit hoc clarius in exemplo Naãmani magistri Militum Regis Cyriæ. Is audit à Propheta, haud dubiæ ex præcepto Domini, septies lauet in Iordane, sic enim futurum ut mundetur à lepra. Audis hoc uerbum, uoluntatem inquam & præceptum Dei: non audis autem ulla uerba recitari uel super Iordane uel super Naãmano. uel ulla uerba à Propheta Naãmano præscribi, quæ ipse recitet, quibus uidelicet aquæ indatur purificandi uis. Obtemperat per fidem præcepto Dei Naãman, & mundatur à lepra, non suo quidem merito, aut aquæ Iordanis beneficio: sed uirtute Dei, & fideli obedientia. Mundantur & in Euangelio leprosi non pauci: uirtute inquam & uoluntate Domini Christi fi- 4. Reg. 5

deiq;

deiq; gratia, non autem ulla pronuntiatione
Mat. 8. aut recitatione uerborum. Dixit sanè Dominus: Volo, mundus esto: Cæterum si quis hodie eadem recitarit etiam centies super leproso aliquo: nihil effecerit. Vnde perspicuum est, uerbis ullam esse inditam uim sanitatis effectricem, si pronuncientur.

In nsmine Domini sanati lãguentes. Dixerunt sanè Apostoli ad ægrotos, lãguentes & claudos: In nomine Domini Iesu surgite & ambulate, ac surrexerunt quidem sanati, sed non uerborum beneficio sanati: sed nomine potentia inquam & uirtute Christi. Petrus enim qui ad claudum Hie
Actu. 3. rosolymis dixerat: In nomine Iesu Christi Nazareni surge & ambula: coram senatu Hierosolymitano. Examinamur hodie de eo, inquit, quòd bene fecerimus infirmo, qua ratione iste saluus factus sit: notum ergo sit omnibus uobis, quòd per nomen Iesu Christi Nazareni, iste astat corã uobis sanus. Et ad populum idem. Per fiduciam nominis eius, inquit, hunc quem uidetis ac nostis, confirmauit nomen ipsius, & fides quæ per eum
Actu. 10. est, dedit ei integritatem istam. Præterea legimus in Actis filios cuiusdam Sceuæ sacerdotis exorcistas inuocare nomen Domini Ie-

ni Iesu, *super eos qui habebant Dæmonia*: *hæc uero adeò non cessisse exorcismis, ut magis in exorcistas insurgens dæmoniacus, illos ferè ad mortem usque mulctarit. Vbi apertissimum, est exorcistas eadem ferè usos esse formula qua utebantur Apostoli (nam per nomen Domini Iesu tentabant eiicere Dæmonem) hoc autem cum non potuerunt, quis non uideat uerba pronunciata nihil posse? Nec obstat hic quicquam, quòd exorcistæ isti fuerunt increduli. Nam apud omnes receptissimum est: sacramenta non minus efficatia esse per malos administrata ministros, quàm per optimos.*

At obiicitur nobis hic illud Apostoli: CHRISTVS exposuit semetipsum pro Ecclesia ut illam sanctificaret mundatam lauacro aquæ per uerbum, uel in uerbo. Siquidem (en inquiunt) mundantur homines aqua Baptismi, quæ ex uerbo uim habet sanctificandi inditam. uerbis itaque uim sanctificandi inesse necesse est. Cæterum euincemus perspicua demonstratione, non hoc sensisse Apostolum, quod illi putant. Præscribit Apostolus Christianis coniugibus officia sua: ad quam rem illus

Explicatur locus Pauli. Ephe. 5.

illustrandam utitur exemplo Christi & Ecclesiæ, Christi erga Ecclesiam commendans insignem illam dilectionem, qua inflammatus exposuerit sese pro ipsa, in hoc ut purgatam & gloriosam sibi sponsam adiungeret: ubi obiter mundandi modū indicat. Nam ipse Dominus Iesus, inquit, illam mundauit. Solius enim Christi est purgare. Iam sequitur modus. Lauacro aquæ per uerbū: quod quia breuiter dictum est, nonnihil obscuritatis habet. Duo autem commemorat quæ Dominus suis adhibet mundandis. Lauacrum aquæ, & uerbum. Lauacrum aquæ baptismus est: externa uidelicet actio, interna purificationis, gratia & spiritu Dei factæ, testificatio. iuxta illud. Secundum
Tit. 3. suam misericordiam saluos nos fecit per lauacrum regenerationis ac renouationis spiritus sancti: quem effudit in nos opulentè, per Iesum Christum seruatorem nostrum. Per interpretationem enim subiicit: Ac renouatione Spiritus sancti, cuius quidē symbolum est lauachrum aquæ. Porrò uerbum est ipsa Euangelij prædicatio: testificans gratia & misericordia Patris datum nobis esse Filium unigenitum, qui traditus pro

peccatis nostris, credentes, effecerit hæredes uitæ æternæ: ut iam hæc Pauli uerba ad Ephe. 5. Congruant cum hoc præcepto Domini apud S. Marcum. Ite in orbem uniuersum, & prædicate Euangelium omni creaturæ: qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit, &c. Nam his quoq; adumbrat Dominus salutis modum & rationem, quòd ipse solus sit qui purget per fidem: uelit interim, ut credentes baptismo consignentur, & palàm prædicetur in orbe, quòd ipse sit qui condonet peccata, & donet gratis etiam uitam æternam. Hæc autem omnia, quid oro faciunt ad illorum institutum, qui Paulinis uerbis euincere uolunt, uerbis inesse uim sanctificantẽ baptismum? Elucidant nostra adhuc clarius, hæc Domini uerba ad Apostolos suos dicta: Iam mundi estis propter sermonem quem dixi uobis. An enim hic dicemus propter uerba Christi recitata purgatos esse Christi Apostolos? quid itaq; opus erat ipsum postridiè crucifigi & mori? An ut uerbis illam potestatem impetraret? Omnis itaq; gloria uerbis porrò uindicabitur. An uerò non magis dictat fides & pietas per sermonem Domini illud intelligendum Ioan. 15.

esse, quod prædicatione Domini explicatur mors & redemptio Christi: cui quoniam crediderunt, purificati sunt. Alibi enim dicitur. Fide purificans corda ipsorum. Proinde error in eo uersatur, quod non rectè iudicant de uerbo aut sermone. Dominus enim loquitur de prædicato & credito: illi intelligunt de pronuntiato, quasi sic uim habeat ex Domino sanctificandi. Nobiscum facit & S. Augu. qui Tract. in Ioan. 80. Vnde ista, inquit, tanta uirtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat, nisi faciente uerbo. Non quia dicitur, sed quia creditur. Nam & in ipso uerbo, aliud est sonus transiens, aliud uirtus manens. Hoc est uerbum fidei quod prædicamus, ait Apostolus: Quia si cõfessus fueris ore tuo, quia Dominus est IESVS, & credideris in corde tuo, quia illum excitauit à mortuis, saluus eris. Corde enim creditur ad iustitiam, ore autem fit confessio ad salutem. Vnde in Actis Apostolorum legimus: Fide mundans corda eorum. Et in Epistola sua Beatus Petrus: Sic & uos, inquit, baptisma saluos facit, non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio. Hoc est uerbum fidei quod prædicamus

Act. 15.

Rom. 10.

Act. 15.

1. Pet. 3.

mus: quo sine dubio ut mundare posit, consecratur & baptismus. Christus quippe nobiscum uitis cum patre agricola, dilexit Ecclesiam, & semetipsum tradidit pro ea. Lege Apostolum, & uide quid adiungat. Vt eam sanctificaret, ait, mundans eam lauacro aquæ in uerbo. Mundatio itaq; nequaquam tribueretur fluxo & labili elemento, nisi adderetur in uerbo. Et reliqua: Hucusq; enim S. Augustini uerba recensui, non quòd humano innitar testimonio, aut hoc quenquam urgere uelim, aut ipse humano præmi sustineam testimonio: sed quòd is testimonia aliquot scripturæ de uerbo testificantia collegit. ex quibus colligere possumus, uerbum fidei prædicatum & non recitatum aut pronuntiatum intelligi oportere. Hoc inquam uerbum uerè purgat, id est, gratia CHRISTI in quam unicè & uerbum & fides intendit, purificat. Ideo enim ille diserte dixit: Non quia dicitur, sed quia creditur. Deinde uerbum fidei est, inquit, quod prædicamus. Præterea: Verbo fidei, inquit, consecratur baptismus, ut mundare possit. Quòd quid aliud est, quam si dixisset: Ipsum fidei negotium efficit

ut Baptismus sit efficax? Sequitur enim: Mundatio itaq; nequaquam fluxo elemento tribueretur, nisi aderetur, in uerbo.

Verba recitata non firmare & efficaciā reddere sacramenta

Iam si prisca quoq; inspicias sanctorum mysteria, non leges in celebratione Circumcisionis, Pasæ, & Sacrificiorum, ulla recitata esse uerba: quibus ea formarentur ac uoluti crearentur sacramenta, redderenturq; efficacia. Quò accedit, quòd Baptista non tantū uulgus promiscuum, sed ipsum etiam Dominum Iesum aqua Iordanis baptizauit: nullis interim recitatis uerbis, quibus gratiam cœlestem euocarit super baptizandos. Rursus dum in Euangelio Cœnam instituit Pontifex noster Christus, nihil iubet recitare aut pronuntiare, cuius pronunciationis uirtute, uel elementa mutarentur, uel significatæ res cœlitus detractæ adservarentur aut coniungantur symbolis: sed simpliciter quid fecerit Dominus, & quid à nobis fieri uelit, hoc est, quomodo & in quem finem Cœnam instituerit, exposuerunt Euangelistæ. Nullibi legimus dixisse Dominum: Quoties hæc uerba mea recitaueritis. Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus, fiet uirtute uerborum meorum, ut substantia si-

tia signi euacuetur & incipiat in puncto recitatiõis sub speciebus panis & uini esse uerum Domini corpus & uerus sanguis. aut manentibus speciebus & signi ueritate, incipiat etiam simul esse cũ pane & uino uerum corpus & uerus sanguis. Proinde nulla est uirtus in recitatione uerborum Domini in Cœna, siue deuocandi, siue transmutãdi. Incantatorum nõ Theologorum esse uidetur, uerbis retenta recitatis formula, uim attribuere euocandi, deducendi, sanandi, attrahendi, depellendi, aut transformandi. Diuus Aurel. Augustinus inter superstitiosa numerat ligaturas & remedia, quæ medicorum quoq;, ut ait, disciplina condemnat: siue in precantationibus, siue in quibusdam notis, quas uocãt, characteres, siue in quibusdam rebus suspendendis. locus extat Cap. 20. lib. de Doct. Christ. 2. Et Chrysostomus grauiter succensens iis qui Euangel. scriptum suspendunt è collo. Vbi (inquit in Matthæ. 23. Cap.) uirtus est Euangelij, in figuris literarum, an in intellectu sensuum? Si in figuris, bene circum collum suspendis. Si in intellectu, ergo melius in corde posita sunt. Hæc ille. Atqui eadem est ratio figu- Incantatores.

tarum, & pronuntiationis literarum aut uocum Euangelij. Sicut ergo nihil potest figura literarum: ita nulla uirtus est in pronuntiatione uerborum, uel in sono. Quid quod Plinius scriptor Gentilis multa quidē Gentilia profert exempla, quibus ostendit uerba esse efficacia: idem tamen inter alia. Quæsitum est, inquit, ualeant ne carmina & incantamenta carminum? Sed uiritim sapientissimi cuiusq; respuit fides. Locus extat lib. 28. cap. 2. Merito autem his omnibus ipsum Dei uerbū præfertur, quod apud Mosen Deut. 18. omnis generis superstitiones & incantamenta magna cum grauitate condemnat atq; prohibet.

Scio quid mihi hic obiiciant aduersarij, benedictionem seu consecrationem, non incantationem esse quam perficiant. At de benedictione & consecratione mox dicemus plura. Ad incantationem redimus, quam omnium consensus fieri dicit conceptis quibusdam uerbis, uel ut ueteres locuti sunt, carminibus, adiunctis nonnunquam characteribus, admutandas rerum naturas, ad deducendum depellendúmue aliquid, in emolumentum uel detrimentum hominum atq;

Incantatio quid.

rerum

verum. Cæterum ſacerdotes uirtute uerborum, adeoq; quinq; uerborũ, quæ illi conſecrationis uocant, dũ Christũ Dominũ è cœlis in manus ſuas etiam impuriſſimas, euocare, ut pani adſit, uel cũ pane cõiungatur, uel ut ſublata panis ſubſtantia, ſuam ſubſtituat, atq; nunc ſub ſpecie panis corporaliter lateat, cogere poſſunt: & quoties uolunt cogunt, idq; ad ſalutem hominũ, & ad omnis generis depellenda mala, quid aliud quæſo exercetur q̃ incantatio? Tull. Hoſtibus olim Elicij nomẽ inuenit, quòd crederetur incantamẽtis Iouẽ cœlo elicuiſſe: hodie ſi uera iſti referũt, tot erunt nobis elicij quot ſacrificij.

Verbis prolatis attributa uirtus res conuertendi.

Nec poſſum hic mihi temperare quin lepidam illam narrem fabellam, quam magnus quidã D. Theologus D. Iudocus Clithoueus in Elucidatorio ſuo Eccleſiaſtico, pro authentica exponit hiſtoria. Enarraturus enim Canonẽ miſſæ, Canon, inquit, dicitur ſecretũ ratione prolationis, quia ſubmiſſa uoce atq; ſecreta profertur, ne tã ſancti myſterij uerba manifeſtè prolata & publicè, per quotidianũ uſum ulleſcãt, & à laicis in locis etiã prophanis indebitè & irreuerẽter pronuntientur. ferunt enim cum olim alta uoce

proferretur Canon, omnes ferè per assiduũ usum, illum in memoria tenuisse: atq; in uiciis & competis publicè decantare solitos esse. Vnde cum quidam Pastores quodam ausu temerario panc posito super lapide in agro, uerba consecrationis hostiæ protulissent: conuersus quidem ille panis fertur in carnem, ad illorum uerborum prolationem: ipsi autẽ (cœlitus in eos igne demisso) diuino iudicio sunt absumpti. ut per hanc punitionis sæueritatem cæteris essent exemplo, ne unquam tale quippiam attentarent. Et cætera. Non dixit tamen hæc sine authore. Nam Guilhelmus Durandi magna illa mysteria prior retulit. Ceremoniarij illius sui, quem Rationale diuinorum uocant, lib. 4. adiiciens insuper, Patres statuisse uerba ista sub silentio dici. inhibentes sub anathemate, ne proferantur nisi à Sacerdotibus super altare, & in missa, & cum uestibus sacris. Quid ais, an non uidentur irrefragabilia ueritatis argumenta, quæ scilicet tanta proferuntur cum maiestate & authoritate? Scilicet: Non rideat qui splene caret. Rectè tamen & uerè dicunt fabulatores isti, olim publicè & uulgariter sacræ oblationis uerba &

Verba cõsecrationis olim

ba & preces fuisse recitatas. Sic enim præ- publicè
cepit olim Iustinianus Cæsar: iubemus ut o- & uulgò
mnes Episcopi pariter & Presbyteri, non uter pro-
tacito modo, sed clara uoce, quæ à fideli po- lata esse
pulo exaudiatur, sacram oblationem & pre in mysti-
ces in sancto baptismate adhibitas celebrẽt: riis.
quo maioro exinde deuotione in depromen
dis Domini Dei laudibus audientium animi
efferantur. Ita enim & Diuus Apostolus
docet, docens in Epistola ad Chorinthios: Si
solummodo benedicat Spiritus, quomodo is
qui priuati locum tenet dicet ad gratiarum
actionem tuam, Amen: quandoquidem quid
dicas non iudet? Tu quidem pulchrè gratias
agis, alter autem non ædificatur. Et reliqua
quæ extant in Nouell. Constit. 123. Nec mi-
rum est principem illum tunc ita præcepis-
se. Nondum enim inualuerat noxius error
uerbis diuinis res mutari. Vide autem an nõ
disertè dicat Sorbonista iste, fertur conuer-
sus panis ille in carnem, ad illorũ uerborum
prolationem. Quid obsecro incantare est, si
hoc non est? An non tribuitur uerbis prola-
tis uirtus res conuertendi? Vbi uero dixit
Dominus se eam uim concessurum prolatis
uerbis?

An benedictione rerum natura mutentur.

Multa sanè enumerantur è sacris, in Decretis Canonicis exempla, quibus isti homines ineptissimè profecto demonstrare conantur benedictione, ut aiunt, rerum naturas mutari. unde colligunt & panem uerbis benedictionis uel consecrationis conuerti in carnem. Huius aũt generis sunt: Aqua manans è percussa petra: Nilus conuersus in sanguinem: Aqua in nuptiis Canæ Galileæ mutata in uinum: Aqua Marath conuersa in aquam dulcem: Virga Mosis in colubrum. Cæterum quid hæc oro faciunt ad Cœnam Dominicam, cum qua nihil similitudinis habent? ut ineptissima iam sit collectio. Nilus conuersus est in sanguinem. ergo panis cõuertitur in carnem: aqua in nuptiis Cananaicis mutata est in uinum. ergo uinum in Cœna Domini conuertitur in sanguinem Christi. Dum enim aqua proflueret è petra percussa, dum conuerteretur Nilus in sanguinem, dum aqua in nuptiis uino commutaretur, dum dulce efferent aquæ Marath, dũ denique uirga Mosis uerteretur in serpentem, certè conuersa, nempè aqua, sanguis, uinũ, aqua dulcis, & serpens, non erant sub specie earum rerum quæ fuerant, neq; simul erant quod

Num.20.
Exo.2.
Ioan.2.
Exo.15.
Exo.7.

quod fuerant, & quod facta erant: sed aqua Nili erat uerus cruor, non aqua & cruor simul. neq; sub uisibili specie aquæ sanguis erant inuisibilis. Ita habet res & in reliquis exemplis. Nihil igitur congruũt cum signis sacramẽtalibus, ac dißimilia sunt nõ similia. Præterea quis facilè dixerit qua prolatione uerborũ aquã Moses elicuerit è saxo. Nilũ conuerterit in sanguinẽ, amaras aquas reddiderit dulces: qua itẽ uerborum forma usus sit Dominus dum aquã conuertit in uinum? Ineptißimè itaq; accõmodantur illa exẽpla benedictioni conuertenti rerũ naturas, cum non poßit ostendi qua benedictione usi sint sancti. Similiter non legimus Mosem aut Iosue ulla uerba benedictionis pronũtiasse quibus dißecuerint aquas aluei maris Erythræi & Fluminis Iordanis. Nil legitur benedictionis pronuntiasse Helizæus dõ natans ferrũ manubrio attraheret. Diuina in his operabatur potẽtia. At ab ea nõ est colligendũ quid libet. Impotentia est enim nõ potentia quæ iustitiæ repugnat & contraria ueritati diuinæ patrat. Sed & potẽtia Domini opera huiusmodi sunt, ut nemo nõ intelligat, & manifestè talia esse cernat, qualia esse dicuntur.

4. Reg. 6

Omnipotẽtia Dei.

Dixit

Gen.1. Dixit Dominus: Fiat lux: & facta est lux. huiusmodi inquam lux, quæ & lux dicebatur, & pro natura lucis lucebat. non autem dicebatur aut fiebat lux, quæ lux reuera esset, & tamen non luceret: sicuti panis dicitur corpus Christi qui tamen corporis Christi ne pilum quidem habet.

De uocabulo benedictionis. Porrò benedictionis uocabulum nullubi in scripturis ita usurpatur, ut isti inducunt. Benedicere in scripturis est confiteri, laudare, salutare, uale dicere, bene loqui & bene precari, gratulari, magnificè celebrare, gratias agere pro beneficiis, augere, ditare, multiplicare, aut fœcundare. Possem de singulis proferre exempla si necesse foret: nullibi uero leges benedicere perinde esse, atque Dei, uel alioqui bonis uerbis precationibusq; certa formula pronunciatis, rerum conuertere naturas. Legimus inquiunt in Euangelio Dominum accepisse panem &
1.Cor.10. benedixisse: sed & Paulum eo nomine panem & poculum appellasse, panem & poculum benedictionis, cõsecrationis haud dubie, qua consecratione substantia signorum commutatur mirabiliter. Ego autem respondeo: uerba & Euãgelica & Apostolica tor-

queri

queri uiolenter ad ſenſum qui in mentē non uenit unquam uel Domino uel Apoſtolis. Nam quantum attinet ad locum Euangelij, Benedicere non pingere geſtu manibus ſignum crucis, & adhibito ore ad panem aut poculum anhelare diſtinctas etiam ſyllabas uerborum conſecrationis: ſed laudes Deo canere, ſiue pro beneficiis gratias agere. Quod dixi, probabo uerbis Euangelicis & Apoſtolicis. Nam Apoſtoli & Euangeliſtæ utuntur indiſcriminatim uerbo benedicendi & gratias agendi. Marcus habet εὐλογήσας, Mathæus, Lucas, & Paulus habent, εὐχαριστήσας, qua uoce & Marcus paulò poſt utens ſcribit. Et accepto poculo εὐχαριστήσας, cum ſcilicet gratias egiſſet, dedit eis. Eſt itaq; uel ipſis Apoſtolis interpretibus benedicere, gratias agere, cum alterum pro altero ponant. Idipſum non oſcitanti lectori palàm cernere licet & in loco Pauli qui eſt. 1. Cor. 10. Cap. quem nos in ſequentibus tractabimus ex integro. Nondum itaque probarunt ex ſcripturis aduerſarij benedicere perinde eſſe atq; res mutare: uel res ipſas ſignificatas uerbis, pronunciatione recitationéue uerborum adducere. proinde nondum

Eucharistia & Eulogia.

nondum liberarunt etiam se ab incãtationis crimine. Mysticæ benedictionis quidẽ meminerunt ueteres, sed longe alio sensu quam isti cõsecratores. Et de consecratione uerba mox dicemus: cõsutabimus & alio loco quæ adferuntur de benedictione aut cõsecratione baptismi: nũc quod cœpimus absoluemus.

Ad quid uerba instituta sint, & quid uasleant.

Verba per se in hoc instituta sunt à Deo ut significent, & significãdo testentur atq; admoneant: nec habẽt præterea ullã uim latentem conuertendi rerum naturas, aut res ipsas ut corporaliter adsint adducendi: neq; illis sic sancti unquã usi esse leguntur. peccãt ergo & imponũt hominibus qui ipsis aliter quàm instituta sunt, utuntur. Agnouit hoc & Aur. Augu. qui in Enchiridio suo ad Laurẽt. ca. 22. Et utiq; uerba, inquit, propterea sunt instituta, non per quæ se homines inuicẽ fallant, sed per quæ in alterius quisq; notitiam cogitationes suas perferat. Verbis itaq; uti ad fallaciã, non ad id quòd instituta sunt, peccatũ est. Idem summã colligens totius libri de Magistro inscripti, interrogat: Sed eã mihi dicas uelim, quid de hoc toto sermone meo sentias? Ad quod mox respondit. Ego uerò didici admonitiõe uerborũ tuorũ, nihil

nihil aliud uerbis, quam admoneri hominẽ ut discat, & perparũ esse quod per locutionẽ aliquanta cogitatio loquentis appareat: utrũ aũt uera dicãtur eum docere solũ qui se intus habitare cũ foris loqueretur admonuit. Hæc ille de Magistro cap. ult. Huc iam pertinẽt uerba sapiẽtissimi Solomonis in Eccle. dicentis: Sapientum sermones sunt uelut stimuli, & uelut claui plantati inter folia collectitia, tradita ab uno Pastore. Vbi libenter agnoscimus magnam inesse uim eloquentiæ & orationi iustæ: sicut Græci per Hercu lem illum Gallicũ significarunt. Cicero item multis in. 1. li. de Oratore exposuit. Ad quod illi commiscuntur de Pitho siue Suada aut Suadela, id reuera nos tribuimus Spiritui sancto: qui & gratiam dat dicenti & auditorum animos præparat atq; commouet. Ex his aũt omnibus perspicuum esse arbitror, nouum esse cõmentum hominũ, non doctrinam oracularem, asserere uerbis recitatis in sacramentorum celebratione eam esse uim inditam, ut res conuertãt, aut res significatas faciãt præsentes, signisq; ipsis uel indãt uel coniungant. Docebimus præterea paulò post signa nõ mutari uel cõmiscri cũ rebus Eccl. ult.

signis

significatis: sed utrunq; in sua natura & proprietate permanere. Satis autem fuerit si uerbis id attribuamus, quòd attribuit scriptura: significandi & admonendi commouẽdiq; ex Deo officium. Polluunt enim non decorant uerba Dei: qui alienis & ementitis ornant laudibus.

Quomodo uerbo Dei attribuenda omnis potentia.

Agnoscimus quidem uerbo Dei attribui omnem Dei omnipotentis uirtutem: sed quis non intelligat id dici & intelligi de æterno Dei filio, qui in scripturis appellatur uerbum Dei? Quis tam hebes ut non ualeat rite distinguere inter æternum Dei uerbum, quod est filij Dei persona secunda in trinitate adoranda: & inter uerbum recitatum aut pronuntiatum ab homine? Verbum Dei æternum in sua manet substantia atq; natura, creator non creatura: non miscetur, non inditur aut incorporatur uocibus humanis. Verbum ab homine prolatum, creatura est non creator, & creatura manet. Nam est sonus transiens. fit tamen uirtus manens, si syncerum non adulterinum sit, recipiaturq; fide. Sic enim seruat, non sua quidem uirtute, aut quia ab homine est recitatum: sed propter uirtutẽ eius qui reuelauit uerbum, qui

uerax

uerax est, ideoq; ea seruat quæ per uerbum promittit: ut iam reuera ipse Deus seruet, qui per uerbum se seruaturum dixit credentes. Ergo uerbū quod reuelauit uobis Deus per seruos suos Prophetas & electos Apostolos, non ideo uerbum Dei est & dicitur, quod syllabæ, sonus & uoces sint natura sua uerbum Dei, hoc ipsum scilicet, quòd sua substantia est Filius Dei: sed quia reuelatio uerbi facta est à Deo in Spiritu sancto per uerbum uel sapientiam Dei. unde licet oriugo diuina sit, non humana: uerba tamen quibus usi sunt Prophetæ & Apostoli humana sunt, nec aliud quàm significare possunt.

At dicat iam aliquis: si ex uerborum Dei recitatione non sanctificantur sacramenta: unde ergo habent & dicuntur sacramenta & sacra signa? Vana ne & nullius uirtutis est consecratio? Vana certè & nullius uirtutis est consecratio illa, quam finxerunt Papistæ. De consecratione autem siue sanctificatione uera, dixi in principio huius capitis, id quod repetam modo, & paulò lucu lentiis copiosiusq; edisseram. Sacræ literæ ueruntuntur frequentissimè in commemoratione sacrorum uocabulo Kadasch, id quod

De uera sanctificatione seu consecratione.

Græci interpretes ferè reddiderunt per ἁγιάζω, Latini per sanctifico, cõsecro atq; initio. Latißimè autem patet eius uocabuli usus. Significat enim sanctificare, offerre Deo, purgare & iustificare, item seligere & separare, separare, in quam, à prophano, & rebus sacris dedicare, nuncupare, applicare, destinare. Dicimus enim Consecrare in præsenti, non aliud esse quàm sanctificare, Deo utiq; dedicare, adq; & segregare, aut è re prophana facere sacram. Quis aũt hoc facit? aut qui facit, quo obsecro medio & instrumento hoc facit? quis oro consecrat, Deus ne an homo? Deus utiq;, non homo. Deus est instituens rem aliquã, & uerbo suo, quid & in quem finem instituerit testificans atq; exponens, sua hac sancta uoluntate, iusta & bona, sola institutione in quam sua, citra ullum aliud medium rem iam à se institutam consecrauit. Sicut enim ipse sanctus, iustus, & bonus est, ita quicquid is ipse iusserit, sanctum, iustum, & bonum est. Et homo ex Dei uerbo intelligens Deum sic in sanctum, iustum, & bonum usum aliquid instituisse, ipsum institutum, pro sancto, iusto, & bono habet, recipit, usurpat: non ipse

dcmum

demum uerbis recitatis sanctum efficit, atq; consecrat. Et quia instituta Dei omnia sancta & bona esse credit: ideo & hoc Dei institutum, ita ut Deus ordinauit celebrat, gratias Deo agit, & totus à Deo & regula uerbi eius dependet. De sanctificatione huiusmodi loquens Apostolus in alio quodã argumẽto. Spiritus, inquit, certò loquitur, quod & in posterioribus temporibus exorientur seductores, qui prohibebunt contrahere matrimonium, iubebuntq; abstinere à cibis, quos Deus creauit ad sumendum cum gratiarum actione fidelibus, & his qui cognouerunt ueritatẽ. quòd quicquid creauit Deus bonum sit, & nihil reiiciendum, si cum gratiarum actione sumatur. Sanctificatur enim per sermonem Dei & precationem. En sanctificatur, inquit, cibus per sermonem Dei & precationem. Est aũt sermo uel uerbum Dei in præsenti, sicut ipse exponit Apostolus Paulus, testimonium scripturæ & uolũtatis diuinæ, quo erudimur, quòd omnia quæ Deus condidit ualdè bona sunt, & quòd ea munda non immunda sunt quæ Deus ad uescendum, & ad nostros usus cõdidit. Audit in Actis Apostolorum beatus 1. Tim. 4.

Act.10. Petrus: Surge Petre, macta & uesce re. Vidit autem in uisione ante se omnia terræ cœlíq; animantia. Respondit uero Petrus: Nequaquam Domine, quia nunquam comedi quicquã commune & immundũ. Rursus ergo audit. Quæ Deus purificauit, tu ne dixeris esse cõmunia. Sed ubi quæso purificauit? Dum condidit & usibus humanis concessit. Accedit uerbo uel sermoni præcatio: nõ imprecatio quidem aut præcantatio, sed fidelis gratiarum actio. Semel enim & iterum Apostolus ipse gratiarum actionis meminit, ut per genus, id est, præcationem aut orationem, aliud intelligere non liceat, quàm speciem: ipsam inquam gratiarum actionem. Ideo ergo cibus sanctus est, ait, quia à Deo qui bonus est, conditus, & usibus hominis destinatus est. deinde quia cum fide & gratiarum actione ab homine recipitur. Cibus enim multis non est bonus & sanctus, non suo quidem uitio, qui semper est creatura bona Dei, sed non agnoscentium fide Dei beneficia, aut abutentium & ingurgitantium sese contra uerbum Domini, culpa. Sic inquam habet illa in causa negotium sanctificationis, quod & sacramentis applicare oportet

portet. Deus ex bona sua uoluntate, & ad hominum utilitatem sacramenta ordinatus, delegit sibi ex bonis suis creaturis, aquam, panem, & uinum: & hæc in certum aliquem finem instituens, præscripto alio quo ritu, usurpare uel celebrare iubet. iam itaq; iussu delectuq; diuino aqua, panis, & uinū consecrata sunt, mox eadem uerbo suo signat: & quòd ea pro sacramentis haberi, & quomodo celebrari uelit, exponit. Confit itaq; cōsecratio sacramentorum, uoluntate, institutione, delectu seu præcepto Dei, uerbiq; consignatione. Proinde aqua, panis, & uinum, usurpata uulgari more, & non ita ut à Deo delecta & instituta sunt, insculpta quodammodo nota uerbi: communia utique siue prophana sunt, delectu seu iussu demū diuino, usu sancto, & uerbo seu nota accedente, incipiunt iam esse quod prius nō fuerunt, sacramenta. Substantia quidem ipsis eadem manet, quæ fuerat antea: accedit aūt nunc alius usus & finis. habent nunc notam uerbi Dei impressam & præceptū Dei: sunt itaq; consecrata. Quibus omnibus accedit etiam usus sanctus, fide uera celebrantium redemptionis beneficium: & gratias agentiū

Quomodo consecrentur sacramenta nostra, aqua, panis, & uinum

beneficio redemptori, precibus spiritualibus & sacratissimis. Possumus hic ex Politicis quædam proferre exempla, in quibus etiam res quædam, propter nouas accedentes causas, manente substantia sua, iam fiunt, quod antea non fuerant. Argentũ enim uel aurum nondum cusum & notatum magistratus signo, nihil aliud est quàm argentum & aurum, accedit autem, iubente magistratu, nouæ formæ per typum, & fit numisma, quod prius non fuerat, licet substantia sua idẽ maneat quod fuerat prius. Cera priusquã notetur sigillo, cõmunis & prophana est cera: ubi uero, rege sic uolẽte & iubẽte, character sigilli regij ceræ imprimitur appenditurq; tabulis & instrumento publico, mox eo habeti loco incipit, ut læsæ maiestatis reus habeatur, quisquis signatã ceram uiolarit. Ex quibus patere iam arbitror, ueram sanctificationem uel consecrationem sacramentorũ constare uoluntate & institutione Dei, fine certo, & usu sancto, quæ nobis explicantur uerbo. De quibus hucusq; uerbosius fortassis quàm quidam faciendum putant disputaui. Sed condonabunt mihi hanc prolixitatem pij lectores, cum omnino omnia fideliter, dilis

ter, diligenter & fusè explicare cupiam.

## CAPVT SEPTIMVM:

### In sacramentis signi & signati naturas non confundi aut commisceri, annihilariue.

INDICATO iam legitimo usu uerbi, & exposita huius uirtute, declarataq; per occasionem uera sacramentorũ sanctificatione, seu consecratione, redimus ad propositã & cœptam disputationẽ: & quoniam docuimus sacramenta cõstare duobus, signis & rebus significatis, reliquũ est ut demonstremus partes illas, naturas suas discretas proprietate incõmunicata retinere: ex qua demonstratione & præcedentibus & consequentibus, adeoq; toti sacramẽtario negotio mira haud dubie, lux affulgebit. De cõmunicatione uero nominũ dicã in capite cõsequenti. Quòd aũt discretas naturas quælibet partium incõmunicata proprietate retineat, hinc manifestũ est, quòd multi signo participãt, qui tamẽ cum re significati nihil cõmune habent. At si naturæ partium unirentur aut coirent

Signũ & signatũ in sacramẽtis discretas retinere naturas

naturaliter: necesse esset eos re quoq; significata communicare, qui signo participant. Exempla scripturæ ut in promptu, ita

Act. 8. perspicua sunt. Nam Simon ille Magus in Actis Apostolorum accepit quidem signum & baptizatur: rei uero ne tantillũ quidem

Luc. 22. uel habet uel accepit. Iudas quoq; Iscariotes Domini proditor perfidus & crudelis, edit quidem panem Domini, & panem Dominum non edit. Alioqui enim uixisset fœlix, iustus & beatus in æternum. Qui enim edit me, ait ipse Dominus, non morietur in æternum. Periit autem Iudas morte æterna, ergo cibum uiuificum non edit.

Impios in cõmunione sacramentorũ re nõ participare.

His claris scripturæ testimoniis adiiciam modo, & quædam ad idem institutum pertinentia S. Augustini, qui Tractatu in Ioan. 26. Accipimus hodie, inquit, uisibilem cibũ: sed aliud est sacramentum, aliud est uirtus sacramenti. Quàm multi de altari accipiũt, & moriuntur accipiendo? Vnde dicit Apostolus: Iudicium sibi manducat & bibit. Nónne buccella Dominica uenenum fuit Iudæ? & tamen accepit. & cum accepit intrauit in eum Inimicus: non quia malum accepit. Et mox, huius rei sacramentum, id est, unitatis

tatis corporis & ſanguinis Chriſti de menſa Dominica ſumitur, quibuſdam ad uitam, quibuſdam ad exitium: res uero ipſa, cuius & ſacramentum eſt, omni homini ad uitam, nulli ad exitium, quicunq; eius participes fuerint. Et iterum: Qui non manet in Chriſto, & in quo non manet Chriſtus: proculdubio nec manducat ſpiritualiter, carnem eius, nec bibit ſanguinem eius, licet carnaliter & uiſibiliter premat dentibus ſacramẽtum corporis & ſanguinis Chriſti. ſed magis tantæ rei ſacramentum ad iudicium ſibi manducat & bibit. Et reliqua. Similia tradit & lib. De Ciuit. Dei. 21. ca. 25. libro quoq; De Doctr. Chriſt. 3. cap. 9. omittunt in coniunctione opus eſſe diſtinctione, ne externo ſigno nimium inhæreamus.

Redimus ad teſtimonia ſcripturæ. Apoſtolus teſtatur in. 1. ad Corin. 10. ca. Omnes patres noſtros baptizatos eſſe, & omnes eundem cibum & potum ſpiritualem ediſſe & bibiſſe: ſed Dominum plures ex iis non approbaſſe. Quòd ſi ſpiritualem cibum & potũ ediſſent & bibiſſent ſpiritualiter per fidem: proculdubio approbaſſet illos Dominus. Nam ſine fide, ut idem ille ait: Impoſſi-

bile est placere Deo. Primum participarunt patres nostri sacramentis quidē uisibilibus, gratia autem inuisibili carucrunt. Vnde cōsequens est signum atq; signatum non confusas aut commixtas, sed discretas retinere naturas. Præterea habent uerba Euangelicæ prædicationis cum signis sacramentalibus cognationem & similitudinem quandā. Alioqui uerba signis longè præferuntur, Apostolo dicente, se prædicatum non baptizatum esse missum. Atqui audiunt permulti foris uerbum Domini, qui tamen cum fide destituātur, carēt interno uerbi fructu, Paulo rursus dicente: Nobis annunciatum est quemadmodū & illis: at non profuit illis audisse sermonem, quòd is non esset cum fide coniunctus. Ita enim fit, ut plures percipiant sacramenta uisibilia, careant interim inuisibili gratia, quæ fide sola percipitur. Vnde denuo consequitur signum non confundi cum signato, sed utrunq; substantiam & naturam suam retinere discretam. Quid quòd scriptura disertè & luculenter distinguit inter externum hominis ministerium & internum operatorem & largitorem spiritualium donorum Deum: Nam Ioā. Baptis-

Cognatio uerbi Dei & sacramentorū.

Heb. 4.

Baptista: Ego quidem baptizo uos aqua, inquit, ille uerò (CHRISTVS) baptizabit uos Spiritu sancto. Cum quo congruit illud Petri: Baptismus uos saluos reddit: non quo carnis sordes abluuntur, sed conscienciæ bonæ interogatio in Deum. Matth.3. 1.Pet.3.

Huc iam pertinet euidentißimè illud sancti Augustini testimonium, quod Quæstio. lib. in Leuit.3. Quæst.84. in hæc uerba legitur. Animaduertendum est, quoties dicit: Ego Dominus qui sanctifico eum, loqui de Sacerdote, cum hoc etiam Mosi dixerit. Et sanctificabis eum. Quomodo & Moses sanctificat & Dominus? Non enim Moses pro Domino, sed Moses uisibilibus sacramẽtis per ministerium suum: Dominus autem inuisibili gratia per Spiritum sanctum; ubi est totus fructus uisibilium etiam sacramentorum. Nam sine ista sanctificatione inuisibilis gratiæ, uisibilia sacramenta quid prosunt? Hæc Augustinus. Quemadmodum uerò inter suum mysterium baptizandi & potestatem CHRISTI distinxit Ioannes Baptista: ita idem ille discernens inter ministerium concionandi, & interni

Distinguit scriptura in ministerio hominis & operatione spiritus.

Ioan.1.& 3.cap. interni doctoris tractum. Ego, uox, inquit, clamans in deserto: parate uiam Domini. Et iterum. Qui è supernis uenit, supra omnes est. Qui è terra profectus, terrenus est, & è terra loquitur. Qui è cœlo uenit supra omnes est, & quod uidit & audiuit, hoc testatur, &c. 1.Cor.3. Consentiens uero his S. Paulus: Quis, inquit, est Paulus, quis item Apollos? nisi ministri per quos credidistis, & ut cuique Dominus dedit. Ego plantaui, Apollos rigauit: sed Deus dedit incrementum. Itaq; non qui plantat est aliquid, neq; qui rigat, sed qui dat incrementum Deus. Ad quæ alludens S. August. Tract. in Ioan. 26. Omnes, inquit, regni illius homines docibiles Dei erunt: non ab hominibus audient, etsi ab hominibus audiunt, tamen quòd intelligunt intus datur, intus corruscat, intus reuelatur. Quid faciunt homines forinsecus annunciantes? Quid facio ego modo cum loquor? Strepitum uerborũ ingero auribus uestris: nisi ergo reuelet qui natus est, quid dico aut loquor? Exterior cultor arboris, interior est creator. Qui plantat & qui rigat exterius operatur. Hoc facimus nos. Sed neq; qui plantat est aliquid. Ex his uero omnibus liquidum

quidam fieri arbitror, signum & signatum discretas in sacramentis naturas retinere.

Impugnant hæc maximè, quibus persuasa est Papistica illa panis in corporis Christi, uinique in substantiam sanguinis transsubstantiatio. Hi enim negant modis omnibus panem & uinum in mysteriis consecrata, in suis manere substantiis. Has enim annihilari conuertiq; contendunt in ipsum Domini corpus & sanguinem: ut à consecratione, post accidentia panis & uini, nihil supersit prorsus. Nam aiunt Dominum disertis uerbis super pane & uino pronũtiasse. Hoc est corpus meum. Hic est sanguis meus. Posse autem Dominum nullo quidem negotio efficere sua illa omnipotentia, ut quod dixit, ita fiat, sicut dicit. Ad hoc illustrandum proferunt similia non pauca. Dominũ uidelicet hominem formasse: ex limo terræ: mox & è costa hominis mulierẽ: ex uxore item Loth statuam salis: eundem itaq; eadem sua potentia efficere posse ex pane & corpus, ex uino autem sanguinem. Et hæc quidem illorum firmamenta sunt. Nos uerò aliàs abunde satis disputauimus de sensu uerborũ Domini. Hoc est corpus meum: ut supernacaneum

Confutatur dogma Papisticum de transsubstantiatione.

neum sit eadem hic multis reperire. Ostendimus item ex omnipotentia Dei non quodlibet colligendum atq; statuendum esse: sed & potentiam Dei nihil facere contra ueritatem adeoq; contra seipsam: neque fideli quicquam suscipiendum esse prætextu potentiæ diuinæ, quod pugnat cum apertis scripturis & Catholicæ fidei articulis.

Panem & uinum manere in suis substantiis post consecrationem.

Iam uero clarissimum est post consecrationem manere in sacramento panis uimq; substantiam. Nec aliis hic opus habemus testibus, quàm ipsis sensibus: qui aliud nihil sentiunt, uident, gustant & palpant quàm panem & uinum. Atqui dum terra conuerteretur in corpus hominis, costa in mulierē, uxor item Loth in statuam salis, non erant transsubstantiata quod fuerant prius, neq; quicquam apparebat sensibus, terræ, costæ, uxoris Loth. Ineptissimè ergo applicantur illa exempla negotio Cœnæ Dominicæ, cum qua nihil congruunt. Quam rem & superius attigimus. Scriptura Euangelica & sacrosanctam Cœnæ institutionem & modum diligentissimè describēs, nullius meminit conuersionis miraculosæ: quin panem & uinum à Domino acceptum & distributum discipulis

pulis, adeoq; & ab his receptum, ac post recitata uerba consecrationis, ut uocant, panem & uinum, sicuti ante consecrationem, appellant. Quid quod Matth. 26. cap. Dominus uinum consecratum iam non uinum tantum, sed etiam germen uitis, emphatico quodam loquendi genere nuncupat, ne quis uinum uerè uinum esse & manere ignoraret. Apud Marcum, de poculo hæc legimus. Et accepto poculo cum gratias egisset, dedit illis. Et biberunt ex eo omnes. Et dixit illis: Hic est sanguis meus noui Testamenti, &c. En biberunt, inquit, ex poculo omnes, priusquã essent recitata uerba, quæ uocant consecrationis, uinum itaq; biberunt. Quod si illi responderint locum Euangelistæ explicandum esse per hysteron, proteron figuram, admiserunt tropos in negotium Cœnæ: quod tamen simpliciter & absq; troporum auxilio contenderunt esse intelligendũ. Sed & Paulus Apostolus in. 1. ad. Cor. 10. Panem Dominicum in sacro usu existentẽ, & ut sic dicã consecratum, panẽ nominat. Et in. 1. ad. Cor. 11. ca. tertiũm panẽ nuncupat. His accedit quod Acta Apostolica testãtur totam actionẽ mysticam ab Apostolica Ecclesia de- Marc. 14. Act. 2. & 20.

nomis

nominatam esse fractionem panis: non fractionem corporis aut distributionē sanguinis. Claret itaq; panis & uini substantiam in sacramento Cœnæ Dominicæ manere in sua natura: & transsubstantiationem figmentum esse Sophisticum.

An panis & uinum, propter priorem subsistentiam, post fieri quod quondam legitur factum in Exos consecrado: ubi uirga Aarōnis dicitur deuorasse sic uirgas incantatorum: quæ tamen tunc non uocentur.

Est & illud Sophisticum & egregiè Pasticum quòd dicunt panem & uinum consecrata in Cœna ideò in literis Apostolicis appellari panem & uinum, quòd antea fuerint panis & uinum. Hoc enim in præsenti fuerint uirgæ, sed serpentes. uirgæ autem nunc nominentur quod ante conuersionem fuerant uirgæ: quæ nunc erant serpentes, non uirgæ. Quis autem rursus non uideat exemplum illud nihil similitudinis habere cum pane & uino Dominico? Virga enim dicebatur quidem uirga: sed erat interim & uidebatur clarè iam non uirga, sed serpens. panis uerò dicitur panis, nec aliud esse apparet quàm panis: nulla hic cernitur carnis species, sicuti ibi uidebatur forma serpētis. Dicitur præterea uirga cōuersa esse in serpentem,

penuẽ, & pro miro aut prodigio ostẽtatur. nullibi autem legas panem conuersum esse in carnem, miraculo quodam: sed sacramentum instituitur, quòd sanè sacramenti nomen & naturam amittit, cum subuersa aut annihilata signi substantia, nihil hic nisi res ipsa remanet significata. Nam quod de accidentibus sine subiecto miraculosè subsistentibus signiq; loco manentibus, nugantur: nebulæ sunt. Quod si perrexerimus quælibet somnia nostra ueneditare pro miraculis: nihil porrò tam absurdum & ineptum fuerit, quod nostris figmentis mendaciisq; non colorauerimus. Quid quod uocabulum ipsum transsubstantiationis manifestè euincit, totum hoc nugamentum, non è simplici Apostolorum doctrina, sed è spinosa Sophistarũ schola esse petitum? At Apostolus Paulus præcepit ut caueremus nobis à Philosophia ipsa, tum à uerborum nouitatibus. Quanquam in præsenti non tantum de uocabulo nouo, sed noua item re & noua doctrina Apostolicæ per omnia aduersa agatur. Pugnat enim hæc doctrina Sophistarũ de transsubstantiatione, cũ doctrina Apostolica & Euangelica de uera incarnatione Domini, Col. 2. 1. Tim. 6.

*& uera humani corporis eius, natura & proprietate, deq; uera corporum nostrorum resuscitatione. Coguntur enim plurima hic cõmẽtari planè prodigiosa, de inuisibili corpore Christi, sua subtilitate per corpus ianuæ & lapidis (operculi inquam sepulchri) penetrante: de corpore Domini uero & tamẽ simul & semel in pluribus locis existente: omniaq; implente: & quæ huius notæ absurda sunt, & impia innumera.* Iam & Ioan. Scotus Doctor subtilis scripto suo in Sentent. Distinct. 11. li. 4. Quæst. 3. author est, *articulum transsubstantiationis nec in Symbolo Apostolorum, nec in priscis illis Symbolis esse expressum: sed declaratum definitumq; demum ab Ecclesia (sic ille loquitur, Romanam intelligens) sub Innocentio. 3. in Consilio Lateranensi. Vnde colligimus doctrinam de transsubstantiatione planè Neotericam seu nouam esse: cuius historiam alicubi copiosius contexuimus. Istis autem demonstratum arbitror aperte & efficaciter satis, signa non commisceri significatis rebus, uel in ipsa commutari, sed discretis manere naturis.*

Ioan. Scotus Doctor subtilis.

An. Do. 1215.

CAPVT

## CAPVT OCTAVVM

Quomodo coniungantur signū & signatum in sacramentis, & de sacramentalibus locutionibus.

VANQVAM uerò quælibet partium suam retineat impermixtam naturam: coëunt tamen illa duo in unum sacramentum. & coniuncta non diuisa, faciunt unum plenum ac legitimum sacramentum. Aqua enim sola & priuatim quidem uulgariterq; aspersa non est sacramentum: nisi accommodetur, & usurpetur secundum institutum Christi. Purgatio itē siue ablutio peccatorum & insertio aut receptio in fœdus & consortium Dei omniūq; sanctorum, per se non est sacramentum: nisi accedat & aquæ in nomine benedictæ trinitatis aspersio. Pari ratione sacramentum non est si edatur in publico cœtu panis, & bibatur de eodem poculo uinum, more uulgari: nec sacramentum est si fideli cōmemoratione contempleris traditum pro te corpus Domini fusumq; sanguinem, pro quibus

& gratias agas, nisi quatenus omnia Dei & salutis nostræ mysteria, sacramenta generaliter, id est, arcana & spiritualia Dei & salutis nostræ mysteria dicuntur. Nam in pleno legittimoq; sacramento concurrant necesse est: & actio sacra sensibilis, & spiritalis celebratio eius, cuius grtia inuenta est peragiturq; actio sacramentalis. Atqui hic nonnulli multa & uaria disputant de Vnione, personalis ne realis an rationalis sit. Ego quoniam nihil huius uideo anxiè traditũ ab Apostolis, adeoq; rem planam per se, huiusmodi Sophisticationibus reddi contortam, implicatam, obscuram & difficultatibus plenam: simpliciter & clarè dico, signum & signatum in sacramentis coniungi institutione diuina, contemplatione & usu fideli, significatione deniq;, rerumq; similitudine. nego autem modis omnibus duo illa uniri naturaliter, ita ut signum in sacramento id esse incipiat, quod signatum est sua substantia atq; natura. nego rem signatam corporaliter cum signo coniungi: ita ut signũ in sua quidem maneat substantia atq; natura, interim tamen nihilominus rem signatam secum corporaliter habeat cõiunctam, ut quisquis signo

*De unione sacramentali.*

*ſigno participetis pariter & rei ipſius. Per ſignum aut cum ſigno, fiat particeps. Id cur tam conſtanter negem apparet, opinor, ex iis quæ hactenus diſputaui, & quæ mox ſubiungentur.*

*Porrò inſtitutione, coniuncta dico ſignũ & ſignatum: quia qui ſacramentum baptiſmi & cœnæ inſtituit, non in hoc inſtituit, ut aqua coporis ſordes abluueremus, uti conſuetum eſt fieri quotidiano balneorum uſu. neq; ut pane & uino nos ſatiaret. ſed ut redemptionis & gratiæ ſuæ, deniq; ſalutis noſtræ myſteria nobis commendaret ſignis uiſibilibus: eaq; repræſentando renouaret obſignandoq; confirmaret. Contemplatione ſideli coniuncta dico: quia religioſe participantes ſacramentis, oculos ſuos nõ in ſenſibilia tantũ, ſed magis in res inſenſibiles in ſignificatas & cœleſtes defigunt: ut in ſeipſis quidem duo illa coniuncta habeant, quæ in ſigno aut cum ſigno alioqui nullo connectuntur uinculo. Corporaliter enim & ſenſibiliter ſigna percipiunt: ſpiritualiter uerò res poſident, uerſant, renouant, atq; exercẽt ſignificatas. Significatione uerò rerumq; ſimilitudine coniuncta dico, quia ſignum ſignati*

Explicatur quomodo in ſacramẽtis coeãt ſignum & ſignatum.

gnati signum est. ac nisi signa similitudinem haberẽt cum aliis rebus, quarum signa sunt: signa utiq; non essent. Habent ergo appositissimam coniunctissimamq; inter se cognationem. Sicut enim aqua abluit sordes corporis: sicut panis & uinum exatiant exhilarantq; cor hominis: ita gratia Dei purgatur populus Dei: ira corpus & sanguis Domini pro nobis tradita, fide hausta, & satiãt & exhilarant totum hominem, ut totum se se in gratiarum actionem & obedientiam Dei effundat. Dicerẽ hic copiosius de analogia signi & signati, nisi commodiore loco ne id postea facere posse uiderem. At pluribus scripturæ locis, ut hæc euidẽtius demõstrentur opus esse non arbitror, cum sponte sua consequantur ex iis quæ hactenus scripturarum testimoniis confirmauimus, & porrò copiosius confirmaturi sumus.

Signa mutuare rẽ signatarum nomina.

Cæterum propter similitudinem signi & rei signatæ communicantur uocabula aut nomina rerum ipsis signis. Id quòd euidentissimè scripturæ testimoniis demonstrabimus. Gene. 17. sic dicit ad Abrahamum Dominus: Et tu custodies fœdus meum, tu inquam & semen tuum post te in generationibus

nibus ſuis. Hoc autem eſt fœdus meum quod obſeruabitis inter me & uos: circãcidatur uobis omnis mas. Circumcidetis uerò carnẽ præputij uestri, quod erit ſignum fœderis inter me & uos. Hæc dixit os Domini: quis uerbum Dei ſuggillabit? Verbum Dei appellat Circumciſionem fœdus, ergo ſigno datur nomen rei. Nam circunciſio reuera non eſt ipſum fœdus. Fœdus enim eſt ipſum pactum & conuentio inter Deum & homines, certas habens conditiones certaq; capita. Proinde per interpretationem mox circumciſio eadem appellatur ſignum fœderis. At quis hanc interpretationem Dei repræhendet? Accipiunt ergo uel Deo interprete ſigna rerũ nomina. Ita legis Exo. 12. Comedatis agnum cum feſtinatione. Pæſa ſiue tranſitus hic Domini. Et mox: Et ſanguis ille erit uobis in ſignum in domibus uestris, &c. Item: Erit autem dies illa uobis monimentum, &c. Quid denuo clarius, quam quod agnus appellatur pæſa, ſiue tranſitus? Quid aũt eſt proprie pæſa? Audiamus hic rurſus Dominum ſeſe exponentem atq; dicentem. Tranſibo per terram nocte illa, & percutiam omne primogenitum in terra

Circumciſio.

Agnus paſchalis

Ægypti, tam in hominibus quam in iumẽtis. ubi autem uidero ſanguinem agni, præteribo ſeu tranſibo uos: nec erit in uobis plaga internicionis. En pæſa ipſo Deo interprete eſt illa tranſilitio uel præteritio, qua Angelus Domini præteriens ædes Iſraëlitarũ ſanguine agni notatas, ipſorum perpercit primogenitis: cæſis interim Ægyptiorũ primogenitis. Agnus uerò ſi ignores quis aut qualis fuerit, audi rurſus dicentem Dominum: Decima huius menſis tollant ſinguli ſibi pecudem pro familia. Pecus ſeu agnus ſit integer, anniculus, maſculus, quem ex ouibus aut capris accipietis. At hic agnus apertè appellatur pæſa uel tranſitus. Quis autem non uideat agnum non eſſe tranſitum? attamen quia ſignum uel monimentum eſt tranſitus, ut ait os Domini, certè nomen accepit tranſitus aut præteritionis. Rurſus le-

Sacrificia

gis Nume. 19. Sic dicit Dominus ad Moſem: Loquere ad filios Iſraël, ut ducant ad te buculã ruffam ſine uitio, tradetisq; eam Eleäzaro ſacerdoti, qui educat eam extra caſtra ubi ſacrificet, atq; totam cõburat. Colliget autem uir mundus cineres illius buculæ, & reponet extra in locum mundum, & reſeruetur

uetur ab Ecclesia Israëlitica ad aquas spar-
sorias siue lustrales. Peccatum enim est. Vis
de iterum morem loquendi scripturarum.
Iuuenca uel bucula est peccatum, hoc est,
sacrificium pro peccato: sicut & Christus
dicitur pro nobis factus peccatū, ut de pec- Gal.3.
cato condemnaret peccatum, nimirum ut u-
nica corporis sui hostia oblata, expiaret pec Rom.8.
catum. Huc pertinet, quod Apostolus quoq;
ad Hebr. de sacrificiis loquēs: Atqui in istis, Heb.10.
inquit, commemoratio fit peccatorum quo-
tannis. Non enim potest sanguis taurorum
& hircorum auferre peccata. Quoties ergo
sacrificia, uelut iuuencæ, hirci, tauri, & ouiculæ sanctificationes aut peccata appel-
lantur, signa rerum nomina accipiunt. Fue- Zach.3.
runt enim hæc typi quidam uenturi sacer- Esa.53.
dotis & hostiæ Christi, cui imponuntur pec Ioan.1.
cata nostra. Hic enim est agnus ille Dei qui 1.Pet.1.
tollit peccatum mundi.

Venimus iam & ad noui Testamenti sa-
cramenta, quorum signa & ipsa rerum par-
ticipant nominibus. Petrus enim in Actis Baptis-
cap.2. Baptizetur unusquisq; uestrum, in- mus.
quit, in nomine Iesu Christi in remissionem
peccatorum. Et Paulus in illis ipsis Actis

Act.22. Apostolicis, audit: Exurge, & baptizare: & ablue peccata tua, inuocato nomine Iesu. Ideo uerò appellatur baptismus ablutio & purgatio peccatorum. At Petrus alibi dicit. Baptismus uos saluos reddit, quo nō carnis sordes abiiciuntur, sed quò fit, ut bona conscientia bene respondeat Deo. Et paulus quoq; Abluti, estis, ait, sanctificati estis, iu-

1.Cor.6. stificati estis per nomen Domini Iesu, & per spiritum Dei nostri. Euincit ergo iusta horum inter se locorum collatio, quod signo baptismi aquæ uidelicet, imponitur nomen rei significatæ. Ad eundem modum habet & negotium Cœnæ Dominicæ uel Eucharistiæ.

Cœna Domini. Panis appellatur corpus Christi, uinum sanguis Christi. Verum cum fides uera, credat uerum corpus Christi ex hoc elatum mundo, agere nunc in cœlis, neq; redire Dominum in hunc modum amplius, donec ueniat in nubibus cœli iudicaturos uiuos & mortuos: nemo non intelligit, signo, puta pani & uino attribui per communicationem nominum, rerum ipsarum corporis uidelicet & sanguinis nomina.

Sacramentales & Sacramentalibus locutionibus sunt non admodum dissimiles & multæ aliæ in sacris literis

literis, & in usa quotidiano. Legimus enim figuratæ Christum esse & dici leonem, agnum, pastorem, uitem, ostium, uiam, scalam, diem, lumen, solem, aquam, fontem, panem, petrã: quæ si quis rigidè urgeat hodie, contendens Christum esse agnum realem, ostium, uitem aut similia, quis oro disputantem ferat? Exploderemus talem tanquam insanum & peruersorem oraculorum Dei. Legimus sanè: Petra autem erat CHRISTVS, nemo eorum, qui de petra bibissent, fuisset reprobatus. Placent enim Deo qui sunt participes Christi. Plures autem illorum qui de petra biberunt non approbauit Dominus. Postrati sunt enim in deserto. ergo bibentes de petra, quæ erat CHRISTVS, Christi participes facti non sunt. proinde petra nõ erat realiter CHRISTVS. Videntes quoq; insignia regum, principum atq; urbium: signa appellamus, regum, principum atq; urbium nominibus, dicentes: Hic est rex Galliæ, Princeps Germaniæ. Hoc est Tigurum. Ita cernentes annulum coniugalem, uel imaginẽ aliquam Principis, nuncupamus fidem coniugalem aut coniugem, denique ipsum Principẽ. Proferẽtes enim matronæ annulum dicent.

figuratæ locutiões

Vsus quotidianarum locutionũ

dicēt: Hic est meus ille coniunx. Demōstrantes statuam uel imaginē Principis Austriæ, dicimus: Hic est Princeps Austriæ. Quòd si quis pergeret pertinacius contendere signum reipsa esse rem signatam, quod huius nomen gerit, an non omnes clamarent, talem destitui sensu cōmuni, & pertinacem rixatorem omnibus modis esse contemnendum.

De sacramentis nulle rixæ ueteribus

Intelligunt itaq; periti rerum, catholicum, receptum ab omnibus & orthodoxum fuisse semper, quod multis modis ostendimus, signa rerum mutuare nomina, non aūt transire in illa. Ideo uerò priscis nullæ fuerunt de sacramentis rixæ & altercationes, quales inter nos hodie uigent. Vt enim signa rerum ornabant nominibus: ita genus loquendi agnoscebant. nec rigidè urgebant uerba, quasi ipsa signa realiter & corporaliter illud ipsum essent quod significabant. Ideo uerò & apud Aur. August. hæc regula uel hic Canon. Signa usurpare uel mutuare rerum nomina, toties repetitur & inculcatur. Eodem obscura aliquot loca illustrat: cuius rei iam aliquot subiiciemus testimonia. De baptismate paruulorum ad Bonifacium Epistola, 23. Si sacramenta, inquit, quā-

dam

dam ſimilitudinem earum rerum, quarum ſacramenta ſunt, non haberent: omnino ſacramenta non eſſent. Ex hac autem ſimilitudine plerunq; etiam ipſarum rerum nomina accipiũt. Sicut de ipſo baptiſmo Apoſtolus: Conſepulti, ait, ſumus Chriſto per baptiſmum in mortem. Non ait, ſepulturam ſignificamus: ſed prorſus ait, conſepulti ſumus. Sacramentum ergo tantæ rei non niſi eiuſdem rei uocabulo nuncupauit. Et in Tract. ſuper Ioan. 63. Exeunte immundo omnes mundi remanſerunt. Tale aliquid erit, cum uictus à Chriſto tranſierit hic mundus, & nemo in populo Chriſti remanebit immundus cum ziſaniis à tritico ſeparatis, iuſti fulgebunt ſicut ſol in regno patris eorum. Hoc futurum preuidens Dominus & nunc ſignificatũ eſſe conteſtans, diſcedente Iuda tanquam ſeparatis ziſaniis, remanentibus tanquam tritico Apoſtolis ſanctis: Nunc, inquit, clarificatus eſt filius hominis, tanquam diceret. Ecce in illa clarificatione mea quid erit, ubi malorum nullus erit, ubi bonorum nullus perit? Sic autem non eſt dictũ. Nunc ſignificata eſt clarificatio filij hominis: ſed dictum eſt. Nunc clarificatus eſt filius hominis

Non dici minis. Quemadmodum non est dictum, petra petra significabat Christum, sed petra erat significat CHRISTVS. nec dictum est, semen bonum significabat filios regni, sed dictum est: Bonum semen, hi sunt filij regni, zizania autem filij maligni. Sicut ergo loqui solet scriptura res significantes tanquam illas quæ significantur appellans, ita locutus est Dominus, dicēs: Nunc clarificatus est filius hominis, postquam separato Iuda nequissimo, & secum remanentibus sanctis sanctificata est glorificatio eius, quando separatis iniquis manebit in æternitate cum sanctis.

Idem in Epistola ad Euodium. 102. Sonitus ille uocis & columbæ species corporalis, & linguæ diuisæ uelut ignis, qui insedit super unumquemq; eorum, sicut illa in monte Sina, quæ terribili specie facta sunt: & sicut columna illa nubis per diem, & flammæ per noctem significatiua operatione acta atque transacta sunt. Illud, in his maxime cauendum est, ne cuiquā Dei natura, uel Patris uel filij uel spiritus sancti cōmutabilis & cōuertibilis esse credatur. Nec moueat quod alias quādo res quæ significat, nomē eius rei, quā significat, accipit. Spiritus sanctus dictus est

eſt corporali ſpecie tanquã columbæ deſcendiſſe & manſiſſe ſuper eum. Sic enim & petra Chriſtus, quia ſignificat Chriſtũ ipſum.

Ex his autem & recenſitis ſcripturarum exemplis perſpicuum eſt ſigna rerum mutuare nomina, non naturas atq; ſubſtantias. unde indubitatum eſt, eos toto errare cœlo quibus perſuaſiſſimum eſt ſacramentales locutiones, non ut tranſlatitias & figuratas, ſed maximè proprias eſſe exponẽdas. ideoq; panem, & uinum non iam ſigna aut ſymbola dũtaxat eſſe regenerationis & corporis Chriſti, ſanguinisq; pro nobis traditi atq; effuſi docẽt, ſed ipſammet regenerationem, ipſiſſimum Domini noſtri Ieſu Chriſti corpus & ſanguinẽ. Sic enim ſentientes peccant contra omnium ſæculorum communem & loquendi & interpretandi rationẽ, pugnant & cum uera fide, adeoq; & cum ſenſu communi. Quibus accedit, quòd ſua illa ſigni ſignatiq; confuſione ſeruilem infirmitatem carnalemque, ut Auguſtini uerbis utar, ſeruitutem inducunt. Hic enim lib. De doct. Chriſt. 3. ca. 9. de ſacramentis diſſerẽs chriſtianorũ. Pauca, inquit, pro multis, euq; factu façilima, & intellectu auguſtiſſima,

Error eorum qui uolunt locutiones ſacramẽtales exponi ſaltem.

&

& obseruatione castißima, ipse Dominus & Apostolica tradidit disciplina: sicut est baptismi sacramentum, & celebratio corporis & sanguinis Domini. quæ unusquisq; cum percipit, quò referantur imbutus agnoscitur: ea non carnali seruitute, sed spirituali potius libertate ueneretur. Vt autem literam sequi, & signa pro rebus quæ his significantur accipere, seruilis infirmitatis est: ita inutiliter signa interpretari malè uagantis erroris est. Et adhuc significantius cap. 5. Principio cauendū est, ne figuratam locutionem ad literā accipias. Ad hoc enim pertinet, quod ait Apostolus. Litera occidit, spiritus autem uiuificat. Cum enim figuratè dictum sic accipitur, quasi propriè dictum sit, carnaliter sapitur. Neq; ulla mors animæ congruentius appellatur, quàm cum id etiam, quod in ea bestias antecellit, hoc est, intelligentia, carni subiicitur sequendo literam. Qui enim sequitur literam, translata uerba sicut propria tenet: neq; id quod proprio modo significatur, refert ad aliam significationem. sed si Sabbatum audierit (uerbi gratia) non intelligit nisi unum diem de septē, qui continuo uolumine repetūtur.

Carnalis seruitus, & seruiles infirmitas.

& cum audierit ſacrificium, non excedit cogitatione illud quod fieri de uictimis pecorum terrenisq; fructibus ſolet. Eadem est miſerabilis animæ ſeruitus, ſigna pro rebus accipere: & ſupra creaturã corpoream oculum mentis ad hauriendum æternum lumen leuare non poſſe. Hæc Auguſt. Colligimus autem ex his S. Auguſtini uerbis eos ſacramenta libertate ſpiritali uenerari, qui neq; literæ inhærent, neq; res uiſibiles & elementares, aquam puta, panem & uinum ueluti ipſas res ſignificatas colunt & uenerantur: ſed per ipſa potius admoniti & excitati, animis in illarum contemplationem efferuntur.

Idem ille in eodem libro cap. 15. docens quando & quomodo recipiendus aut agnoſcendus ſit tropus. Seruabitur, inquit, in locutionibus figuratis regula huiuſmodi: ut tam diu uerſetur diligenti conſyderatione quod legitur, donec ad regnum charitatis interpretatio deducatur. Si autem hoc iam propriè ſonat, nulla putetur figurata locutio. Et adhuc planius in ſequenti. 16. ca. ſubiungit. Si præceptiua locutio eſt aut flagitium aut facinus uetans, aut utilitatem & Quomodo recipienda & agnoſcenda oratio figurata.

beneficentiam iubens, non est figurata. Si autem flagitium aut facinus uidetur iubere, aut utilitatem beneficiámue uetare: figurata est. Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & sanguinem eius biberitis, non habebitis in uobis, &c. facinus uel flagitium uidetur iubere: figura ergo est, præcipiens paßioni Domini eſſe communicandum: & ſuauiter atq; utiliter recondendum in memoria, quod pro nobis caro eius crucifixa & uulnerata ſit. Ait ſcriptura: Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum. Hic nullo dubitãte beneficentiam præcipit. Sed quod ſequitur: Hoc enim faciens, carbones ignis cõgeres ſuper caput eius: maleuolẽtiæ facinus putes iuberi. ne igitur dubitaueris figuratè dictum. Et reliqua. Hæc uidelicet omnia illorum redarguunt errorem, qui ſacramentales locutiones ceu proprias interpretantur: & à figuris aut tropo, in negotio Cœnæ potißimum abhorrent.

Verba Domini Ioan. 6. faciũt ad ſacramentarij. explicans

Non neſcio tamen quid huic poſtremo S. Aug. teſtimonio opponant. Verba Ioan. 6. nihil facere ad interpretationem negotij ſacramentarij. ergo & locum S. Auguſtin. non congruere inſtituto noſtro. Cæterum clarum

clarum est S. August. eo libro disputare de signis & de locutionibus sacramentalibus. Clarum est & illud ex multis S. Augustini locis aliis, hunc frequenter ad illustrandum Cœnæ negotium adducere uerba saluatoris ex cap. 6. Ioan. Quæ re uero illa ad negotiũ Cœnæ nihil faciunt? An de alio corpore loquitur in Cœna, an de alio in. 6. cap. apud Ioan. Ergóne credemus Dominum fuisse & esse bicorperem? Vnum modo est corpus Domini Iesu, quod ut corporaliter comestũ nihil prodest apud Ioan. in cap. 6. ita illud ipsum corporaliter comestum nihil prodest apud Mat. in ca. 26. Verũ hanc rem attigimus & superius. Nihilo plus salis habet & ista eorundem obiectio. Vitiosam uidelicet cõsequentiam esse cum colligimus. Circumcisio est fœdus. Agnus est transitus. Sacrificia sunt peccata & sanctificationes, &c. locutiones sunt sacramentales, symbolicæ & figuratæ: ergo illa quoque. Hoc est corpus meum. est locutio symbolica & figurata. Cum enim parsit ratio sacramentorum, cur non liceret ab uno argumentari ad alterum? Quod autem parsit ratio sacramentorum, receptum est ab omnibus ueritatem rectè agnos-

da uerba Cœnæ.

Argumẽtari à sacramẽtis ueterum ad nostra

gnoſcentibus: & probabitur poſtea quoq; plenius. Quod ſi non licet à ſacramentis ueterum argumentari, & per illa collatione quadam noſtra intterpretari, noſtriſq; illa illuſtrare: peccauit certè Apoſtolus qui uiciosa conſequentia per collationem ab illorum ſacramentis ad noſtra argumentatus legitur in. 1. ad Corinth. 10. & ad Coloſſ. 2. ca. Sed redimus.

Sacramẽtalibus locutionibus uti licet.

Ergo ut finiamus tandem hunc locum, locutiones ſunt ſacramentales & ſymbolicæ cum legimus & audimus, panem eſſe corpus Chriſti, uinum eſſe ſanguinẽ Chriſti: ac corpus & ſanguinem Chriſti manducare & bibere, qui edunt & bibunt ſacramentum corporis & ſanguinis Domini. purgari item à peccatis & regenerari in nouam uitam qui baptizantur in nomine Chriſti: & baptiſmum eſſe ablutionem omnium peccatorum. Atq; hoc modo loquuntur ſcripturæ. hunc loquendi modum ſeruarunt & ueteres Eccleſiæ doctores: quos hoc nomine nemo prudens uituperat. neq; nunc quiſq; quenquam uituperare poteſt, qui ſic loquitur: modo hic quoq; in ea maneat ſyncerit ate, qua ſanctos illos Dei ueſtatos conſtat. Nam ut libenter

benter & ſimpliciter locutionibus illis utebantur, ita rigidè literam & locutiones non urgebant. interpretabantur eaſdem, ut nemo tam rudis eſſet, quin intelligeret ſignanon eſſe idipſum, quod ſignificabant, ſed ſigna uſurpare rerum nomina. Vtebantur ergo uocabulis, ſignificatiuè, myſticè, ſymbolicè, ſacramentaliter. Ergo quod nonnulli uolunt locutiones ſamentales exponi quaſi plus authoritatis, maieſtatis, grauitatiſq; inexplicatæ habeant: ingens trahit ſecum periculum, noxiumq; ſcandalum ponit. Pugnat item cum Canone Apoſtolico, cum ſana ratione & cum ueterum conſuetudine. Cum enim huiuſmodi locutiones: Hoc eſt corpus meum, id eſt, Panis eſt corpus Chriſti. Cum uinum bibis Dominicum, ipſum bibis Domini cruorem. Baptiſmus nos ſaluos facit, &c. inexplicatæ ſimplicibus proponuntur: quid oro aliud quàm laqueus carnalis ſeruitutis, ſed & ſcandalum idololatriæ periculoſiſſimum proponitur? Verbis hic pluribus opus non eſt, cum experientia quid factum ſit, & quid fiat in dies, abundè ſatis hunc locum illuſtret. Canon uero Apoſtolicus iubet oracula diuina interpretari in Ec-

Sacramẽtaliter.

Sacramẽtales locutiones exponendæ ſunt.

ecclesia, & ad sanum intellectum omnia scripturæ mysteria proferre: sicut uidere licet in.1. ad Corint.14.cap. At ratio ipsa dictat rebus non intellectis, parum aut nihil mouere mentem hominis. Quis ergo fructus erit sacramentorum apud simplices, ad quos nulla explicatio sacramentorum peruenit? Rectius ergo ueteres omnia regni Dei mysteria, sacramentorum imprimis non explicauerunt modo, sed & exponenda esse docuerunt. Quod quanquã ex præcedentibus clarè colligi queat, adiiciam tamen duo S. Aug. hac de re testimonia. De Catechizandis rudibus cap.26. De sacramento quod accepit, inquit, cum ei bene commendatum fuerit signacula quidem rerum diuinarum esse uisibilia, sed res inuisibiles in eis honorari: nec sic habendam esse speciem benedictione sanctificatam, quemadmodum habetur in usu quolibet. Dicendum etiam quid significet & sermo ille quem audiuit: quid in illo consalutatur, cuius res illa similitudinẽ gerit. Deinde monendus est ex hac occasione, ut si quid etiam in scripturis audiat, quod carnaliter sonet, etiamsi non intelligit, credat tamen spiritale aliquid significari, quod ad

sanc

ſanctos mores, futuramq; uitam pertineat. Et quæ ſequuntur. Idē De Doct. Christ. li. 4. cap. 8. prohibet omnino doctoribus Ecclesiasticis, ne ideò ſe putent obſcurè loqui oportere de mysteriis ſcripturarum, quia uident hæc paulò intricatius tradita eſſe in ſcripturis: lucem magis perſpicuitatemq; poſtulat. Verba eius ſi quis requirat, hæc ſunt. Si nos de literis canonicorum noſtrorum authorum doctorumq; quæ ſine difficultate intelliguntur nonnulla ſumimus elocutionis exempla: nequaquam tamen putare debemus imitandos eos nobis eſſe in his quæ ad exercendas & elimandas quodammodo mentes legentium, & ad rūpenda faſtidia atq; acuenda ſtudia diſcere uolentiū, zelandos quoq;, ſiue ut ad pietatem conuertant, ſiue ut à mysteriis ſecludāt animos impiorum, utili & ſalubri obſcuritate dixerunt. Sic quippè illi locuti ſunt, ut poſteriores, qui eos rectè intelligerent & exponerent, alteram gratiam, diſparem quidem, ueruntamen ſubſequentem in Dei Eccleſia reperirent. Non ergo expoſitores eorum ita loqui debent, tanquam ſeipſos exponendos ſimili authoritate proponant: ſed in omni-

bus ſermonibus ſuis primitus ac maxime ut intelligantur, elaborent ea quãtum poſſunt perſpicuitate dicendi: ut aut multum tardus ſit qui non intelligit: aut in rerum quas explicare atq; oſtendere uolumus difficultate ac ſubtilitate, non in noſtra locutione ſit cauſa, quò minus, tardiúsue, quod dicimus poßit intelligi. Hæc Auguſt. Et hæc hactenus de locutionibus ſacramentalibus dixiſſe ſufficiat.

## CAPVT NONVM:

De natura, uirtute & efficatia, ſimilitudine item & differentia ſacramentorum utriuſq; Teſtamenti.

Epilogus particularis.

HACTENVS expoſui quid ſit ſacramentum, quo authore ſit profectum, & quas ob cauſas inſtituta ſacramenta, quibus rebus cõſtent, ſignominirum & re ſignata, quid item ſignum ſit, & quid res ſignificata, & quibus inſigniantur nominibus, quomodo conſecrentur, quod ſignum cum re ſignificata nõ commiſ-

commiſceatur, ſed utrunq; in ſua natura naturæq; proprietate maneat, quod ſignum non annihiletur aut miraculoſè conuertatur, nec ita cum hoc ſignatum coniungat, ut quicũq; illius ſit particeps, & huius habeat communionem. expoſui deniq; quomodo aut qua ratione coniuncta ſint ſignum & ſignatum, ut plenum & legittimum ſacramentũ conſtituant, ubi & de ſacramentalibus locutionibus diſſerui. Iam ergo reſtat, ut etiã de natura, uirtute & efficatia ſacramentorum, & de iis quæ cum eis coniuncta & cognata ſunt, conſequenter dicam: ita enim ratio ordinis in finitiõe propoſitã requirit.

De uirtute & natura ſacramentorum, quid uidelicet in homine efficiant, uarie & ſæpe uerſan copioſè diſputatur à ſcriptoribus: mihi uidetur in hac diſputatione uerſandum religioſè. cauendumq; ne in dextram uel ſiniſtram inclinem: id eſt, ne illis nimium tribuã in Euangelicæ & Apoſtolicæ doctrinæ derogationem, neue eis detraham aut adimam, quod ipſis tribuit ſcriptura, uerbum Dei. Abundè uerò ſatis magnam laudem & gloriã inſtitutis Dei tribuerimus, ſi de iis prædicemus, quod tradidit in ſacris ſpiritus Dei. Religiosa ſacramentorum.

plura uelle iis tribuere, non modo error est humanus: sed peccatum grande afferens exitium atq; interitum horribilem. Exemplis memorandis id nobis in sacris est expositum. Arca testificationis, populo Israëlitico, per Mosem data, testimonium erat diuinæ in populo præsentiæ, fœderis item & amicitiæ inter Deum & hominem. Nam in hæc uerba pepigerat cum populo Deus. Inhabitabo in illis & inambulabo, & ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi populus. Ex ea institutione ac pactione appellabatur arca ipsa Dominus Deus exercituum sedens inter Cherubim, ut uidere licet. 2. Sam. 6. & in libro Paralip. Dicebatur & arca fœderis Domini. Hæc autem cum ipsi sacramento Dei Prophetæ Dei tribuerent: abundè satis & magnificè de sacramento Dei senserunt & locuti sunt. ubi uero indocti & malitiosi sacerdotes, & per hos corruptus populus longè maiora arcæ seu sacramento Dei tribuerent: quid oro factum est? Audi prius quid arcæ tribuerint. Clamant seniores Israëlis: Quare strauit nos hodie Dominus coram Palestinis? Adducemus ad nos de Silo arcam fœderis Domini, ut illa ueniens inter

Arca fœderis.

Leuit. 26

Nimium tribuere sacramẽtis.

ter nos, ſeruet nos de manu hoſtis noſtri. Audiſti quid Arcæ tribuerint? audi iam quid fecerint. Miſit itaque populus in Silo, & attulerunt illuc Arcam fœderis Dei exercituũ, ſedentis inter Cherubim. Et factum eſt cum ueniſſet Arca fœderis DOMINI in Caſtra, uociferatus eſt cunctus Iſraël iubilo magno, ut terra tremeret. Quod cum audiſſent Paleſtini, dixerunt: Quid ſibi uult clamor iſte? Et audientes Arcam caſtris illatam Hebræorum, clamant & ipſi: Væ nobis, uenit DEVS in caſtra: quis eruet nos è manu Deorum iſtorum fortium, qui percuſſerunt Ægyptum? Sed audi modo quid factum ſit, & quomodo declarauerit DEVS Arcam illam non eſſe DEVM, ſicuti dicebatur, & ab imperitis rerum ſacrarum habebatur, quomodo item puniuerit peccata populi ſui, id quoque quod nimium tribuerunt Sacramento. Sequitur ergo: Pugnauerunt itaque Paleſtini, & Iſraëlitæ cæſi ſunt: fugeruntque ſinguli in tentoria ſua, & facta eſt cædes uehementer magna, ut caderent ex Iſraële triginta millia peditum. ſed & Arca

Dei

Dei capta fuit, & cæsi sunt duo filij Heli.

*Grande peccatũ non tribuere tãtũ sacramentis, quantum tribuit scriptura*

Hæc omnia leguntur. 1. Samuel. 4. Rursus cum irreligiosius tractaretur Sacramentum à porcis Palestinis, percutiuntur & hij plaga & fœda & exitiali. Gloriabantur quod dij sui & religio Palestina uicissent Deum Israëlitarum & religionem Israëliticam: sed cadunt & confringuntur Dij Palestini, confunditurq; religio Ethnica. Quid quod Israëlitæ iam leuius contrectãtes sacramentum à Palestinis reductum in Bechsemes, curiosiusq; illud contra Dei legem scrutantes, Nu. 4. grauiori plaga nunc quamprius conciduut? Percussit enim Dominus septuaginta uiros, & quinquaginta millia hominum. 1. Samu. 6. Cui congruit quod Apostolus de indignè cœnam celebrantibus dicit: Propter hoc multi inter uos imbecilles & inualidi, & dormiunt multi. Huc pertinet etiam exemplum Ozæ non omnio malli, sed non legitimè hoc ipsum sacramentum tractantis: undè & subitanea morte confitetur à Domino, idq; non priuatim in tabernaculo, sed in celebri pompa. De quo facto Dei postea in synodo & Ecclesia Israëlitica pronuncians Dauid dicit ad Leuitas. Dominus

minus constituit ut portetur arca à Leuitis (non uehatur in plaustro à bubus) sanctificate ergo uos, & transferte arcam Domini Dei Israëlis ad locum, quem paraui ei. Quandoquidem enim hoc ab initio non fecistis, rupturam in nobis fecit Dominus Deus noster, quia non requisiuimus eum sicut oportuit. Et sequitur mox: Sanctificati sunt igitur sacerdotes & Leuitæ ut adducerent arcam Domini Dei Israëlis: portaruntq; filij Leuitarum arcam Domini, sicut præceperat Moses, iuxta uerbum Domini, humeris suis impositis uectibus. Extant hæc omnia. 1. Par. 15. cap. Ex quibus colligimus nolle Dominum nostras bonas intentiones & ordinationes magnificas in celebratione sacramentorum, sed illud requirere unicè, ut ita sicuti ipse iußit & celebrauit, usurpemus atq; celebremus. Proinde abunde satis tribuit sacramentis, quisquis id eis tribuit, quod ipse Deus in scripturis sanctis tribuit. Excutiamus ergo ante omnia quid nostro ferè sæculo tributum sit sacramentis, ut inde rectius quid tribuendum sit intelligatur. Docuit uulgus sacerdotum & monachorum sacramenta nouæ legis non tantum. Num. 4.

ferre gratiam.

tum

tum esse signa gratiæ, sed simul etiam gratiæ causas: hoc est, quæ habent uirtutem conferendi gratiam. Esse enim illa ceu sacramenta, organa & infundibula quædam passionis CHRISTI, per quæ in nos gratia CHRISTI transfundantur. at signa ueteris Testamenti Patribus data, signa tantum, non causas quoq; gratiæ esse: utpote quæ uim duntaxat significandi, non conferendi gratiam habuerint. Authorem uerò huius sui dogmatis habent Scholasticorum omnium patriarchan Petrum Lombardum, qui Sentent. lib. 4. Distin. 1. Sacramentum proprie dicitur, ait, quod ita est signũ gratiæ Dei: ut ipsius imaginem gerat, & causa existat. Non ergo significandi duntaxat gratia instituta sunt sacramenta: sed etiam sanctificandi. Quæ signi significandi duntaxat gratia instituta sunt, solum signa sunt & non sacramenta: sicut fuerunt sacrificia carnalia. signum utiq; rei sacræ, quam non præstabant. Idem Distin. 2. eiusdem libri, CHRISTVS gratiam attulit, inquit, & gratiæ sacramenta instituit: quæ ex ipsius passione uirtutem sortita sunt. Huius præscriptionem secuti sunt mox magna turba

ta Scholasticorum & Monachorum greges.

Videntur autem id dogmatis hausisse ex uerbis Augustini perperam intellectis. Scribit enim is in Psalm. 73. Sacramenta sacramenti nouæ legis salubriora & fœliciora iis, quæ ta confer in ueteri lege: eò quòd illa promittunt, hæc regratiã. dent. Atqui non uoluit his uerbis aliud dicere Sanctus Augustinus, quàm quòd alibi sic protulit. Sacramenta ueteris legis Christum prænunciauerunt, nostra annunciant. Nam & contra Faustum lib. 19. cap. 14. uocat promißiones rerum complendarum, nostra nominat iudicia rerum completarum. Proinde in Psalm. 73. dant dixit pro eo quod est datum testantur, aut exhibitum significant. Fateor quidem illum non semel dixisse, nostra esse fœliciora & uirtute præstantiora, atqui id dixit non alia ratione, quàm quòd præstito nobis Meßia, in nouo Testamento omnia nostra pleniora, illustriora siue luculentiora sunt. CHRISTVS enim plenißime omnia absoluit. unde reuera nostra plenius significant, & quodammodo uiuidiora sunt. Quod si Augustinus in ea fuisset sententia quam sequuntur Augusti. nõ docuit

isti

*isti, an non suaderet ipsa pietas, ut deserta hominum authoritate uerbo ueritatis adhæreremus.*

De similitudine & differentia sacramentorũ ueteris & noui Testamenti.

Videamus ergo quid colligatur ex scripturis Canonicis de sacramentorum ueteris & noui Testamenti similitudine & differentia. E scripturis habemus hoc certissimum, unum esse utriusq; Ecclesiæ æternum & immutabilem Deum ac Dominum, unam per Christum in illum utriusq; Ecclesiæ fidem, unam in utranq; Ecclesia propositã promissionibus salutis rationem, deniq; unam unius perpetuo Dei utranq; Ecclesiã. Eadem scriptura testatur sacramenta ueterum & nostra idem usq; adeo ualere, ut Paulus dicat circumcisos qui sunt baptizati, baptizatos qui sunt circuncisi. Docet idem ille patres nostros eandem escam spiritualem edisse, & de eodem potu spirituali bibisse, nimirum de petra. Sed addit mox. Petra uerò erat CHRISTVS. Verba Apostoli notissima sunt, & leguntur. 1. Cor. 10. Idem ad Collo. cap. 2. In Christo, inquit, estis completi, per quem & circumcisi estis circuncisione quæ fit sine manibus, dum exuistis corpus peccatorum carnis per circuncisionem Christi, consepul

consepulti simul cum illo per baptismũ, &c. Quid his oro clarius dici potuit? Circumcisio quæ fit sine manibus, est circũcisio Christiana, baptismus uidelicet. Cæterum in superiore loco Pauli ad Cor. obseruandum est in Mosem baptizari non idem esse quod est in Christum baptizari. Nam in Mosem perinde est ac si dixisset per Mosem aut ministerio Mosis. Constat enim Mosem suæ fidei creditum populum unicè Deo adduxisse. Illis uerò ita præstructis & scriptura Apostolica cũfirmatis, ita demum, non ex nostris capitibus, sed ex authoritate diuina colligimus. Quorum unus est perpetuo æternus & immutabilis Deus, una omnium salutis ab æterno in Christo proposita ratio, una Fides, una Ecclesia, unus Baptismus, idẽ spiritualis cibus & potus: eorum non possunt esse nisi eadem sacramenta. Atqui Iudæorum & Christianorum est unus Deus, una fides, & una salutis per Christum ratio, una denique Ecclesia. sunt itaq; eadem quoq; sacramenta: nisi quòd nostra propter exhibitum solem iustitiæ Christum, multò sunt illustriora & euidentiora.

Non diuersa his legas & apud Aurelium

Augusti. quoq; docuit eadē esse sacramenta ueterum & nostra.

Augustinum non uno loco, utcunq; aduersa rij differentiam illam suam inter ueterum & nostra sacramenta inductam ad Augusti num referre cupiant. Nam contra literas Petiliani lib. 2. cap. 37. fuerunt, inquit, in signis diuersa, in re quæ significatur, paria. Item in Tracta. in Ioan. 26. in hunc locum: Hic est panis qui de cœlo descendit: Hunc panem significauit manna: hunc panem significauit altare Dei. Sacramenta illa fuerunt. In signis diuersa sunt, sed in re quæ significantur paria. Non dissimilia legas contra Faustum Manichæum lib. 19. cap. 13. 16. 17. Rursus Tractat. in Ioan. 45. Ante aduentum Domini nostri Iesu Christi, quo humilis uenit in carne præcesserunt iusti: sic in eum credētes uenturum quomodo nos credimus in eum qui uenit. Tempora uariata sunt, nō fides. Et reliqua. Et mox: In signis diuersis eadem fides: sic in signis diuersis, quomodo in uerbis diuersis: quia uerba sonos mutant per tempora, & utiq; aliud uerba non sunt quàm signa. Significandi enim uerba sunt: tolle significationem uerbo, strepitus inanis est. Significata sunt ergo omnia. Numquid non eadem credebāt per quos hæc signa mis

nistras

nistrabantur: per quos eadem quæ credimus prophetata prænunciabantur? Vtiq; credebāt, sed illi uentura esse, nos autem uenisse. Item in Psal. 77. Idem, in mysterio inquit, cibus & potus illorum qui noster, sed significatione idem non specie. Quia idem ipse CHRISTVS, illis in petra figuratus, nobis in carne manifestatus. Sed non in omnibus illis beneplacitum est Deo. Omnes quidem eundem cibum spiritualem manducauerunt, & eundem potum spiritalem biberūt: id est, spirituale aliquid significantem: sed non in omnibus illis beneplacitum est Deo, & cum essent omnia communia sacramenta, non communis erat omnibus gratia, quæ sacramentorum uirtus est. Sic & nunc iam reuelata fides, quæ tunc reuelabatur omnibus, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti baptizatis, commune est lauacrum regenerationis: sed ipsa gratia cuius ipsa sunt sacramenta. quā membra corporis CHRISTI cum suo capite regenerati sunt, non communis est omnibus. Hæc Augustinus docens, eorum signa, temporis diuersitate excepta, non imparia aut dissimilia esse, quorum eadem est fides & religio.

## CAPVT DECIMVM

### Sacramenta non conferre gratiã, neq; gratiam in seipsis continere.

EXPOSITA autem similitudine & differentia sacramentorũ ueteris & noui Testamenti, idq; ex occasione dogmatis Sophistici, sacramẽta nouæ legis conferre ex se gratiam: expendamus & illud quale sit. At de uocabulo quidẽ gratiæ primo pauca hæc admonemus. Gratia fauor est numinis & beneuolentia, qua Deus Pater nos propter Christũ complectitur, purgat, iustificat, donis instruit & saluat. Nam Apostolica scripta gratiam apertè uocant, qua saluamur & iustificamur ex fide Iesu Christi. De hac scriptum est: non irritam facio gratiam Dei. Nam si per legem est iustitia, ergo CHRISTVS gratis mortuus est. De hac scriptum est. Christus nobis factus est ociosus: quicunq; per legem iustificamini, à gratia excidistis.

Gratia quid sit.

De

De hac ſcriptū eſt: Si autem gratia, iam non ex operibus: alioqui gratia iam non eſt gratia. De hac ſcriptum eſt: Ei autem qui operatur, merces non imputatur ſecundum gratiam: ſed ſecundum debitum. Et multa aliæ quæ protinus multa ſufficiunt argumēta cōtra commentū illud Sophiſticum. Iam uerò quid poſſit uocabulum conferendi, notū eſt omnibus. Dicimus enim dona conferre cum damus. Si ergo ſacramenta nobis conferunt gratiam, faciunt nos utiq; Deo gratos & acceptos, iuſtificant, donis locupletant ſpiritalibus, & ſaluant. quod ſanè cum Prophetica & Apoſtolica ueteri doctrina pugnare ſic oſtendimus. Conferre quid ſit.

Vetus eſt error Iudaicus ſacramenta iuſtificare. Hinc eſt quod ſancti Prophetæ cū populo ſuæ fidei credito, falſis tamen imbuto opinionibus concertantes clamarunt: ſtra illū niti ſuis ritibus & ſacrificiis. Deum autem delectari obedientia fideli, fide, charitate, innocentia uera inquam, pietate. Inter quos Ieremias dicit. Sic dicit Dominus exercituum Deus Iſraelis: Holocauſta ueſtra addite uictimis ueſtris, & comedite carnem: quoniam nihil locutus ſum cum patris Sacramēta non cōferunt gratiam.

bus uestris, neq; præcepi eis eo tẽpore quo
educebam eos è terra Ægypti, de ratione ho
locausti & sacrificij. Sed hoc uerbum præ
pi eis dicendo: Audite uocem meam, & ero
Deus uester, uos autẽ eritis populus meus.
& ambulate in omni uia quam præcepi uo
bis, ut bene sit uobis. Similis locutus est &
apud Esaiam in. 1. cap. Non reiecit Domi
nus, neq; damnarunt diuini uates in uniuer
sum omnia sacrificia, cum ea ipse Dominus
per Mosem instituisset: sed falsam opinionẽ
uanamq; in ipsa fiduciam oppugnabant. Va
na fiducia & falsa opinio est, reddere sacri
ficia nos gratos Domino: fides acceptos effi
cit nos Domino per Meßiam. Et Dominus
sacramenta uel sacrificia non instituerat, ut
gratiam conferrent aut iustificarent: sed ut
in ordine retinerent populũ, ut hunc retra
herent ab idolis & cultibus Ethnicorum: ad
Christum aũt summum Pontificem & unis
cam totius orbis hostiam deducerent. Pæda
gogia ergo siue exercitia fuerũt. Paulo hoc
Gal. 3. approbante atq; dicente. Lex pædagogus
noster fuit ad Christum, ut ex fide iustifices
mur. At postquam uenit fides, non amplius
sub pedagogo sumus. Idcirco sacrificia ues

terum

terum ſacrificantibus non conferebant gratiam neq; iuſtificabant: ſed ſymbola & teſtimonia erant, Deum ſanctificare & iuſtificare per hoſtiam omnibus ſæculis deſtinatam, per Meſſiam, ad cuius fidem ueluti pedagogus quidam deducentia dirigebant.

At prædicantibus quidem Apoſtolis puram doctrinam Euangelij, ſola Dei gratia per Chriſtum ſeruari credentes: intus ille error tam altè Iudaicis inſedit animis: ut illi quoq; qui Chriſtum recepérant contenderent tamen, Chriſtum non poſſe planè ſine ſacramentis Iudaicis accedentibus, ſanctificare aut iuſtificare. Contra quos Apoſtoli magna grauitate, & ualidiſſimo ſpiritus impetu diſputantes, euicerunt hominem Chriſtianum nullis legatibus interuenientibus, nullis deniq; operibus adiuuantibus, ſed ſola & mera ſiue gratuita Dei gratia miſericordiáue per Chriſtū ſanctificari, iuſtificari, purificari, atq; ſaluari. Quæ ſanè prora, quod dici ſolet, & puppis eſt doctrinæ Euāgelicæ & Apoſtolicæ: quam qui negat, nullā haud dubio ſortem habet in hæreditate Chriſti & Euangelij ipſius. Nec obſcurum aut dubium eſt quod modo paucis his propoſui. Quis

Error in Eccleſia Apoſtolica.

Act.15. enim nesciat memorabilem concertationem maximorum apostolorum Christi, Pauli ac Barnabæ, institutã contra eos quidocebant: nisi circunderentur Christiani iuxta legem Moysis, hos nullopacto saluari posse? Cõtra quos & Petrus concludit. Fide purificari corda, & gratia Domini Iesu Christi saluari credentes.

Gratis cõferri gratiam, recipi per fidem.

Verum quidem est, abrogata Apostolorum, aduersarios reducere uoluisse: interim uerò indubitatum est & illud, Apostolos non alio ariete incusso doctrimã aduersariorum de sacramentis purificantibus debilitasse ualidius, adeoq; & subuertisse fœlicius, quàm hoc: Gratia Dei per Christum iustificari credentes. cumq; ubiq; ferè adiiciunt, non lege, non ceremoniis, aut ullis ritibus, an putamus illos in participatũ admissuros sacramenta: quæ sub censum ueniunt ceremoniarum aut rituum, aliumq; finem habent? Fides Christiana, gratiam Dei, remissionem peccatorum, sanctificationem, & iustificationem, tribuit in solidum gratuitæ misericordiæ Dei: adeoq; & merito passionis Christi. & ita tribuit, ut præterea admittat nihil prorsus in participatum. Quod ers

go

go Lombardus dixit *ſacramenta uirtutem conferendi gratiam accepiſſe ex merito paſſionis Chriſti, ex ſe finxit. Nam qui credit ſe iuſtificatum plenè, per mortem & reſurrectionẽ Domini: is in nulla alia re amplius quærit gratiam aut iuſtitiam, quam modo per fidem & ſpiritum ſanctum ſentit in ſe ipſo uires ſuas exerere. Huc enim pertinent illa ex Euangelio. Vade in pace, fides tua ſaluam te fecit.* Item: *Omnis qui bibit ex aqua hac, ſitiet iterum. Quisquis autem biberit ex aqua quam ego dabo ei, non ſitierit in æternum, &c. Huc pertinet & illud Pauli: Iuſtificati ex fide, pacem habemus erga Deum, per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum: per quem & contigit nobis, ut fide perduceremur in gratiam hanc, in qua ſtamus & gloriamur ſub ſpe gloriæ Dei.* Luc. 7. Ioan. 4. Rom. 5.

*Non neſcio quorundam ſutelas commẽtantum eſſe generalem quandam, deinde & ſpecialem fidem. Generalem uocant, qua credimus nos morte & reſurrectione Chriſti eorũ qui uerè iuſtificari. Specialem uerò, qua credimus per ſymbola peculiariter & cuilibet nostrum ſingulariter applicari Dei dona. Veterũ quorſum attinebat è terra in qua licebat* Confutatur commentum eorũ qui fingunt ſimul dem generalem & ſpecialem

ueſci manna, reſpicere ad ollas & allia Ægyp
ti? Quid Chriſtianis, oro, negotij cum diſ
ſtinctionibus Sophiſticis? Aut unde proba
bunt nobis hanc hac ſuam diſtinctionẽ? Vna
modo fides eſt, eáq; non alia in uſu ſacramẽ
torum, quàm extra uſum. Extra uſum cre
dimus nos morte & reſurrectione Chriſti
ſanctificari. In Baptiſmo & Cæna Dominis
ca non aliam exercemus fidẽ, quàm qua cre
dimus Domini gratia & miſericordia purs
gari à peccatis: eiuſdemq; tradito corpore
& effuſo ſanguine nos redimi à morte, &
hæredes fieri uitæ æternæ. Applicant hæc
nobis, nõ ſacramenta. ſed fides per ſpiritum
ſanctum. Id quod uniuerſa teſtatur ſcriptu
ra Apoſtolica, quam huiuſmodi commenta
obſcurant. Vnus eſt omnino Deus & ſaluas
tor, una ſalus, una redemptio, & purgatio,
una fides, qua recipimus quidem oblatam
nobis ſalutem à Deo in CHRISTO per
Spiritum ſanctum. Eadem annunciatur aut
prædicatur nobis in uerbo per miniſtrum:
& repræſentantur obſignaturq; per admis
niſtrationem ſacramentorum. Redimus mos
do ad confutationem erroris Sophiſtici.

Quis neſciat obſecro Paulum Apoſto
lum

lum in omnibus ſuis ſcriptis unicè contendere fide in Dominum IESVM, non per ulla opera iuſtificari credentes? Rurſus quis ignoret ſub cenſum operum uenire & perceptionem aut celebrationem Sacramentorum? Quid deniq; clarius eſt quam quod idem ille in. 4. capi. Epiſtolæ ad Romanos. Abrahamum demonſtrat iuſtificatum priuſquam circumciſum? Quis enim inde non colligat circumciſionem non iuſtificare: ſed magis ſignaculum eſſe iuſtitiæ fidei? Quod autem patri omnium noſtrorum uſu uenit Abrahæ, idipſum à Deo expectant omnes filij Abrahæ: ut uidelicet iuſtificemur fide, non Sacramentis. Nam ſi circumciſio non iuſtificauit aut gratiam contulit: certè ne noſtra quidem Sacramenta, quæ eandem cum ueteribus rationem habent (ſicuti prius oſtendimus) iuſtificabũt aut gratiam conferent. Huc enim pertinet quod idem Apoſtolus in. 1. ad Cor. 10. cap. diſertè dicit, omnes quidem patres noſtros iiſdem nobiſcum Sacramentis participes factos: nihilominus diſplicuiſſe Deo. nimirum quòd uera deſtituerentur fide. confert ergo hæc nobis gratiam, non Sacramenta.

Fide iuſtificari credentes, non ſacramentis.

Quibus

Quibus & illud adiiciam: Illud ſacramenta non dare quod non habent, gratiam & iuſtitiam donaue cœleſtia non habent, non ergo conferunt.

An gratia Dei in ſacramentis diuina ſymbolis ſit indita, incluſaue & uelut in ipſis contenta? contineatur.

Hinc uerò exoritur nobis noua quædam diſputatio. An gratia Dei & uirtus quæda diuina ſymbolis ſit indita, incluſaue & uelut in ipſis contenta? Vulgus ſacrificorum & Monachorum tam uerbis quam factis ſuis produnt ſe ſentire, ipſis ſymbolis diuinam eſſe incluſam uirtutem: adeoq; Deum ipſum iis conteneri. Non enim alia origine emergunt anxiæ illorum diſputationes de eo, quid arrodat mus cum ſacramentum corporis Chriſti arrodit. Innocent. Papa. li. de ſacramento altaris. 4. cap. 11. Miraculoſè reuertitur ſubſtantia panis, inquit, non illa quæ tranſiuit in carnem, ſed quod eius loco alius panis miraculoſè creatur, qui corroditur, &c. Vide acumen & miraculoſam quandam Theologiã. Omitto hic ſtudio alia huius generis permulta. Adde his quod characteribus impreſſis & mirificis quibuſdam uerbis, geſtibus & exfflationibus (quæ omnia benedictionis titulo ornant) aquam baptiſmi conſecrant. At inter alia canunt,

Deus

Deus aquam hanc regenerandis hominibus præparatam, arcana sua luminis admixtione fœcundet, ut sanctificatione concepta, ab immaculato diuini fontis utero in nouam renata creaturam, emergat. Sit hæc sancta & innocens creatura, libera, & ab omni impugnatoris incursu, non insidiando circumuolet. Sit fons uiuus, aqua regenerans, unda purificans. ut omnes hoc lauacro salutifero diluendi, operante in eis spiritu sancto, perfectæ purgationis indulgentiam consequantur. Vnde benedico te, creatura aquæ, per Deum uiuum, per Deum uerum, per Deum sanctum, per Deum qui te in principio per uerbum separauit ab arida, &c. Rursus insufflando in aquam ter, his uerbis aquam incantat. Tu has Domine, supplices aquas tuo ore benedicito, ut præter naturalem emundationem, quam lauandis possunt adhibere corporibus, sint etiam purificandis mẽtibus efficaces. Deinde accipit minister sacrorũ, cereum ardentem: & impositum aquæ baptismi ter dicit. Descendat in hanc plenitudinem fontis, uirtus Spiritus sancti. Addit. Et totam huius aquæ substantiam, regenerandi fœcundet affectu. Et reliqua. Hæc omnia

Canũtur illa in benedictione baptismi, in festiuis Paschalet.

omnia sine tropis simpliciter dicta, intelligunt & exponunt. id quod satis euidenter euincit, quid homines isti aquæ consecratæ tribuant: & quod signis res sacras contineri sentiunt. Torsit se hac in re mirum in modum Bonauentura, qui scripto suo in. 4. Magistri Distinct. 1. Quæsti. 3. inter alia, tandem. Non est aliquo modo dicẽdum, inquit, quòd gratia contineatur in sacramentis essentialiter, tanquam aqua in uase, uel medicina in pixide: imò hoc intelligere est erroneum. Sed dicuntur continere gratiam, quia ipsam significant. & quia ibi nisi sit defectus ex parte suscipiẽtis, in ipsis gratia semper confertur. ita intelligendo quòd gratia sit in anima, nõ in signis uisibilibus. Pro tãto dicuntur etiã uasa gratiæ. Possunt etiã dici uasa alia ratione. Quia sicut quod est uase, nõ est de ipso, nec ex ipso, sed tamen ab ipso hauritur: sic gratia nõ est à sacramẽtis, aut de sacramẽtis: sed oritur à fonte æterno, & ab illo hauritur ab ipsa aĩa in ipsis sacramẽtis. Et sicut quis recurrit ad uas cũ requirit liquorem: sic quærenti liquorem gratiæ & non habenti, recurrendum est ad ipsa sacramenta. Dominus gloriam suã alteri non dat, nedum

Bonauentura dicit gratiam contineri in sacramentis.

nedum elementis. Si quis ſitit, ueniat ad me, ait Dominus, & bibat. Qui credit in me, ſicut dicit ſcriptura: flumina de uentre eius fluent aquæ uiuæ. Rectè uero gratiam retulit ad fontem omnium bonorum Deum: utinam pure & ſimpliciter id dixiſſet. Rectè ſedem ſeu receptaculum gratiæ & donorũ Dei, animam hominis: non ſigna inſenſibilia eſſe ſenſit. Scriptura enim ſancta ubiq; docet, mentem hominis non elementum ullum, aut quicquid humana eſt conditum arte domiciliũ eſſe gratiæ Dei, & hanc non peti aut coli ceu incluſam in ulla re inſenſibili. Si cæli cœlorum, inquit Solomon, te non continent, quanto minus domus hæc? Ad quæ alludens conſtantiſſimus Chriſti Martyr Stephanus: Non is eſt excellẽtiſſimus ait, qui in manu factis tẽplis habitat, ſicut Propheta dicit. Cœlum mihi ſedes eſt, terra aũt ſcabellũ pedũ meorũ. quam domũ ædificabitis mihi, dicit Dominus: aut quis locus requietionis meæ eſt: Nónne manus mea hęc omnia fecit? Quæ ſecutus magnus ille Chriſti Apoſtolus Paulus, ait: Deus qui fecit mundũ, & omnia quæ in eo ſunt: hic cœli & terræ cũ ſit Dominus, non in manu factis tẽplis habitat:

Sedes gratiæ Dei.

3. Reg. 8.

Act. 7.

Actu. 17.

nec

nec manibus humanis colitur, indigens alicuius, cum ipse det omnibus uitam, &c. Vnde
Ioan. 4. ipse Dominus in Euangelio significantissime pronuntiauit. Venit hora quando neq; in monte hoc neq; Hierosolymis adorabitis patrem: sed uenit hora, & nunc est, quando ueri adoratores adorabunt patrem spiritu & ueritate. Fideles itaq; animi oculos à terrenis uisibilibusq; rebus attollunt in cœlestia. Vnde & sancti maiores nostri Cœnam celebraturi illud sacris mysteriis congruentissimum audierunt sibi occini. Sursum corda: respondente toto populo. Habemus ad Dominum. Quid quod ipsa rei absurditas planè euincit, gratiam symbolis non contineri. Si enim per gratiam intelligis fauorem & beneuolentiam Dei, si indulgentiam peccatorumq; ueniam, purgationem inquam & iustificationem credentium, si dona deniq; & charismata spiritus: quid absurdius quæso fingi poterat, quàm res tantas inclusas contineri aqua, pane & uino? Signis profecto nulla opus est gratia, nulla usdulgentia & uenia peccatorum. Ad quid ergo contineretur gratia in sacramentis? Quis oro fructus ad homines redibit? At quis ignorat

omnia

omnia Dei instituta ad utilitatem hominis esse ordinata? An utro dicemus gratiã ideo inclusam teneri sacramentis: ut inde in nos transfundatur per canales? At non ita loquitur scriptura. Gratia enim (quod sæpe iã repetitur) est fauor & beneuolẽtia Dei: qua ille in nos, non per sensibilia, sed suaptè propensione, potentia & uirtute fertur. Spiritualia hæc sunt: ergo spiritus munere & interuentione perficiuntur. Spiritu suo coniungitur nobis Deus, nos illi fide, spiritus dono copulamur: id quod in Euangelicis Apostolicisq; literis nusquam non obuium est.

Proinde uerba Canonis cons. Niceni. Baptisma nostrum non sensibilibus oculis, sed mẽtalibus considerandũ est. Aquam uides, cõsydera diuinã uim, quæ in illis aquis latet &c. non ita crasse & ruditer intelligenda sunt. Nam oratio symbolica est, quam nemo non eo quidem tempore intelligebat: sicut & nobis nouum & difficile non est, si quis dicat in sigillo esse fidem & ueritatem: in annulo coniugali, fidem & amorem coniugalem: in sceptro & corona regiam potestatem. Nam nemo tam ineptus est, ut propter huiusmodi locutionem commendet res ipsas

Canõ Nicenus de baptismo.

in signis contineri inclusas, locutionis genus & consuetudinem quisq; agnoscit.

Apostoli baptizarunt in aqua non consecrata.

Huc iam pertinet quod Ioannes Baptista in Iordane flumine, quod Apostoli denique ipsi baptizarunt in aqua non consecrata paratáue ullis excantationibus, insufflationibus & characteribus ad recipiendam & transferendam Dei gratiam in baptizandos. Vidit Æthyops in Actis Apostolorum fontem, nullo delibutum oleo, nec ullis consecratum carminibus sacris, nullis denique exufflationibus, cereorumq; immißione & cruciũ picturis formatum. nihilominus Philippo Apostolo dicit: Ecce aqua, quid uetat quo minus baptizer. At Philippus fidem requisiuit in Dominum Iesum, & confitentem protinus baptizauit: nulla fontis consecratione præmissa. quæ uidelicet gratiam Spiritus sancti, & uim regenerantem in aquam deuocaret, protinusq; Æthyopi ad purificationem effunderet.

Quomodo mẽtio chrismatis fiat apud ueteres.

Scio apud ueteres, olei, chrismatis, unctionis inquam mentionem fieri non raram nec obscuram. Cæterum ungebantur oleo baptizati, non cõsecrabatur chrismate aqua baptismi. Aug. enim lib. de Trinit. 15. ca. 26.

Deus

*Deus, inquit, unxit Filium non oleo uisibili, sed dono gratiæ, quod uisibili significatur unguento, quo baptizatos ungit Ecclesia. Hæc ille. Apostoli quidem baptismo nullum adhibuerunt oleum: postea demum propter significationem à patribus est receptum. ut nihil peccent contra Euangelij traditionem & Apostolicum exemplũ, qui oleo baptizatos non imbuunt. Ita non nescio precũ quoq; quibus sanctificatur baptisma mentionẽ fieri apud scriptores Ecclesiasticos. Videtur aũt hic obiter admonẽdus esse Lector, quõdã uarias fuisse apud baptismũ recitatas preces: quibus tamẽ aqua non fuit incantata, sed gratia potius Christi inuocata. recitataq; ex Euangelio & literis Apostolicis baptismi institutio & mysteriũ, quemadmodũ & hodie fieri cõsueuit. Intelligis id clarius & rectius ex his S. Au. scriptis. Multi, inquit, irruunt in preces non solũ ab imperitis loquacibus, sed etiã ab hæreticis cõpositas: & per ignorantiæ simplicitatẽ non ualentes eas discernere utuntur eis, arbitrãtes quod bone sint: nec tamẽ quod in eis peruersum est euacuat illa quæ ibi recta sunt. Et mox. Quis autem nesciat non esse baptismum Christi, si uerba*

Euangelica quibus ſymbolum conſtat illie defuerint? Et rurſus: Ideoq; dicimus baptiſmum Chriſti, id eſt, uerbis Euangelicis conſecratum, ubiq; eundem eſſe: nec hominum quorumlibet & qualibet peruerſitate uiolari. Hæc leguntur in Aug. lib. contra Donatiſtas de baptiſmo. 6. ca. 26. De conſecratione uerò dixi abunde, opinor, ſuperius. Quòd ſi Auguſtinus aut alij dicerent etiam olim baptiſmi aquam fuiſſe benedictam aut conſecratam, inde tamen non ſequeretur quòd id factum fuiſſet ad præceptum Domini & exemplum Apoſtolorum: quod Eccleſiæ Chriſti ubiq; ſpectandum eſt.

Modica quondam baptiſmi ceremonia.

Quibus accedit quòd uetuſtiſſimus ſcriptor Tertull. in lib. de Corona Militis ritum baptizandi priſcæ Eccleſiæ deſcribens, ſimpliciter & paucis. Adituri, inquit, aquam, ibidē, ſed & aliquanto prius in Eccleſia ſub antiſtitis manu cōteſtamur nos, renunciare Diabolo & pompæ & angelis eius. dehinc mergitamur, aliquid amplius non reſpondētes quam Dominus in Euangelio determinauit. Inde ſuſcepti mellis & lactis concordiā præguſtamus. Exq; ea die quotidiano lauacro per totam hebdomadam abſtinemus. En

amplius

plius, inquit, non aliquid respondẽtes, quàm Dominus in Euangelio determinauit, nimirum cum dixit: Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Hæc itaque baptizandi consuetudo fuit ueteribus nulla utentibus. exufflatione aut consecratione aquæ. Quòd uerò baptizati lac & mel prægustabãt, ex institutione antistitũ, non ullo Domini præcepto aut Apostolorũ exemplo fiebat. habebatq; significationem: Lac enim infantibus conuenit, quibus assimulantur modo baptizati. Ac in ueteri Testa. frequens est promißio terræ fluentis lacte & melle, quæ iam in spe quodammodo degustanda & poßidenda præbebatur: quasi baptizati duce Iesu transmisso Iordane iam in ipsam terram promissam peruenerint. Sed redimus ad institutum nostrum.

Si perrexerimus elemẽtis ipsam Dei gratiam & dona Spiritus s. tribuere, quis nõ uideat quanto cum periculo simpliciũ coniunctũ sit? Suppeditatur enim occasio simplicibus idololatriæ, rebus in quã sensibilibus inhærẽdi, atq; ab iis postulandi, requirendiq; quæ eleuatis in cœlum mentibus, ab authore omnis boni fuerant petenda. Quòd enim

Periculũ idololatriæ.

dicitur pactione quadã ita diuinitus esse cõstitutum, hoc est Deum uelle & uerbo suo iubere ut in se habeant sacramẽta gratiam, & ex se ueluti canales aquam gratiæ, transfundant in sitientes adeoq; ut Deus ipse inueniatur in sacramentis, & quodammodo complexu nostro cõprehendatur: sine scripturarum authoritate dicitur, imò temerè cõtra omnes scripturas asseritur. De ui uerborum superius disserui. Cæterum ut disertè Deus negat se contineri aut inueniri in rebus sensibilibus, deniq; ut spiritus Dei gratiam suam fidelium hominum cordibus infundit: ita diuina maiestas & ueritas obstrinxit seſe promißionibus suis, fore ut qui credant in Dominũ Iesum, grati & accepti sint Deo Patri. Omnes ergo promißiones intendunt in Christum & in Christo per fidem omnia bona præstant. Quisquis igitur eam fidem habet & Sacramentis participat propter fidem iustificatus, Deo gratus & acceptus est, priusquã cõmunicet sacramentis. Quis quis aũt sine fide participat Sacramentis, ei nihil conferunt sacramenta. Ita planũ & perspicuum fit, gratiam sacramentis non cõtineri, neq; per ipsa conferri.

CAPVT

## CAPVT VNDECIMVM:
### Sacramenta non exhibere quæ significant.

RIVS QVAM aũt descendamus ad explicandum usum, uirtutem & finẽ sacramentorũ, expendamus & illorũ sententiam, qui non omni quidẽ parte probant dogma Scholasticũ sacraněta conferre gratiam: interim tamẽ omnibus modis contendunt, sacramenta exhibere id quod significant. Qua in re, mea quidẽ sententia, parum à Scholasticis abesse aut dissentire uidentur. Significatur baptismo fœdus Dei societas populi Dei, peccatorũ remissio & uariorũ collatio donorũ. Sacramento Cœnæ Dominicæ significatur corpus Domini pro nobis traditum, & sanguis eius pro nobis effusus in remissionẽ peccatorũ, ipsa mors & passio Domini, & cõmunio cũ Christo & omnibus sanctis. At quomodo hæc cũ signis aut in signis exhibẽtur? Neq; uideo quid aliud significet exhibere q̃ cõferre, nisi quod exhibendi uocabulũ euidentius

Quid significetur sacramentis.

Exhibere quid sit.

est quam sit conferendi. Nam exhibere prorsus est uidendi tangendiq; gratia præbere: aut quod latuit præclusumue fuit, omnibus usurpandũ in commune & apertum proferre. Non aliter eo uocabulo uidetur usus Aquinas, cum dixit. Omnibus sacramentis cõmune est quod per ea exhibetur aliquod remedium contra peccatum, per hoc quòd gratiam cõferunt. Locus extat. Part. 3. Quæst. 63. Art. 6. Thomistis ergo, non scripturis sanctis debemus exhibitiua signa. Cæterum si sacramenta quod significãt exhibent, certè habent aut in se continent, quod exhibẽt. Quod enim non habeo, alteri dare non possum. Non continent autem in se sacramenta neq; habẽt, quod significant (Id quod hactenus euidenter satis, opinor, demonstraui) proinde nequaquam quod significant, exhibent. Si dicunt, signa, non sua quidem uirtute ex seipsis, sed ex pacto seu promißione Dei res exhibere significatas: nebulas offundunt simpliciũ oculis, quas in superioribus apertè discußi. Porrò si dicũt, Deum ipsum (opera signorum siue cum signis) exhibere res significatas per ministruu Ecclesiæ: rursum lucem & ut ritè singula discernantur, non

Sacramẽta non exhibent quod significant.

non confundãtur, desydero. Desydero item manifesta scriptura loca, quæ perspicuè tradant, cum aqua simul afferri fœdus Dei, gratiam & remissionem peccatorum: Cum pane & uino simul exhiberi corpus & sanguinem Domini, aut ipsissimam Christi communionem. Proferunt ergo illa: Surge: Baptizare & ablue peccata tua, &c. Accipite, & dite, hoc est corpus meum, &c. Verum de his locis disseruimus etiam superius, maximè cum disputaremus de locutionibus sacramentalibus. Ad illustrandos tamen atq; confirmandos illos, similes locos & similitudines huiusmodi adducunt. Ioan. 20. inquiũt, legimus: Dominus insufflauit in eos, ac dixit: Accipite Spiritum sanctum, cum flatu utiq; dans Spiritum sanctum. In Actis legimus: Et uisæ sunt illis dissectæ linguæ, uelut igneæ, seditq; (Spiritus) super singulos illorum, & repleti sunt omnes Spiritu sancto. Quibus adiungunt primum quidem columbam, quam uidet Baptista, cũ qua datus sit Domino Spiritus sanctus: deinde uerò impositionem manuum ex Actis Apostolicis per quã datus sit Spiritus sanctus. His annumerant Ahiæ Prophetæ discissum palliũ in

Argumẽta quibus astruunt signa exhibetina.

partes Ieroboamo oblatum, qua oblatione simul cum signis exhibuerit regnum in decem tribus Israëliticis. Addunt iam similia sceptri clauium & consertionis dextrarum. Cum sceptro enim traditur electo regi regnum: cum clauibus exhibetur ipsa potestas plenaria: Cum consertione manuum exhibetur ipsa possessio, &c.

Hæc autem omnia mihi quidem ad rem præsentem nihil facere uidẽtur. Dixit sanè Dominus insufflans in Discipulos: Accipite Spiritum sanctum. At non erat in flatu, aut sub flatu, aut cum flatu Spiritus sanctus, qui nullo circũ scribitur loco. flatus autem erat symbolum notaq; uisibilis, denotãs atq; testificans quòd Dominus suo spiritu ad functionem prædicãdi, ad quam eos iam destinabat, Apostolos instruere uellet. Ac spiritũ quidẽ non nunc primũ accipiebant: nam habebant prius, ac plenitudinẽ eius postea, in die Pẽtecostes accipiebant abundãtius, testãte ipso Domino iam in cœlos ascensuro atq; dicente: Accipietis uirtutem, postquam Spiritus sanctus aduenerit super uos, & eritis mihi testes. Similiter non fuit in linguis aut cum linguis igneis Spiritus sanctus, sed sua spõte & uirtute

Accipite Spiritum sanctum.

Act. 1.

& uirtute delatus in Apostolorũ animos linguas habuit, significationes uisibiles præsentiæ suæ & expletæ promißionis. Porrò sicut columba dicitur Spiritus sanctus, ita cõcedimus aquam dici regenerationem, panem & uinũ corpus & sanguinẽ Domini. Quia columba non fuit substantialiter Spiritus sanctus, sed testimonium & indicium quoddã, quòd in Christo inhabitabit omnis plenitudo, & quod per ipsum simus cõpleti, ipso oraculo ad Ioannẽ delato testante atq; dicente. Super quem uideris spritum descendentem atq; manentẽ super eum: hic est qui baptizat spiritu sancto. Et ego uidi & testatus sum, hunc esse filiũ Dei. Nec in colũba fuit Spiritus sanctus, uirtus Dei incircũscripta, ut neq; in aqua, pane & uino est regeneratio, corpus & sangis Domini. Spiritus s. denig; non dabatur cum colũba. Nam Christus est uerus & naturalis Dei Filius, iam inde à conceptu & utero uirginis sanctus, & sanctus sanctorũ, cuius uirtute & gratia sanctificamur. Colũba ergo signũ erat hunc ipsum esse illum, qui baptizat Spiritu s. Sic aqua, panis & uinũ signacula sunt, gratia Dei nos in Christo regenerari, tradito corpore & effuso

Columba Spiritus sanctus.

Ioan. 1.

effuso sanguine Christi nos redemptos esse

Impositio à morte. manuum. Porrò impositio manuum Apostolorum ex Actis, non magis ad istorum negotium facit, quàm quod scribitur apud Marcum: Super ægrotos manus ponent, & bene habebunt. Nã si hodie ægrotis millies imposnas manus in nomine Domini, non tamẽ conseres his cum manuũ impositione sanitatem: ita si centies imponas manus multis, nemo tamen loquetur linguis. Nam Act. 8. cap. Spiritus sanctus ponitur pro Prophetia & dono linguarum: sicut eius loci contextus, & similis locus in cap. 19. euincunt. Fuit manuum impositio singulare quoddam priuilegium in initio prædicati Euangelij Apostolis concessum: quod sequentibus cessauit temporibus. Vbi tamen illud quoque obseruandum uenit, orasse Apostolos, ut acciperent Spiritum sanctum, quibus erant manus imposituri. adeo non erat manuum impositioni alligatus Spiritus sanctus. Vnde Aug. Tract. in Ioan. 6. Vidit Simon ait, per impositionẽ manuum Apostolorum dari Spiritum sanctum, non quia ipsi dabant, sed quia ipsis orantibus datus est. Meminit & alterius cuiusdam manuum impositionis Apostolus in

1. ad

1.ad Tim.4.cap. Verum ea ſignum eſt uocationis, electionis & ordinatiõis legitimæ, communionis mutuæ diuiniq; auxilij. At manifeſtum eſt hodie multis imponi manus ſeniorum, qui tamen parum aut nihil Spiritus ſancti accipiunt. Cumq; manus non niſi electis imponantur, perſpicuum eſt functionẽ ipſos non donum accipere cum manuum impoſitione. Eſt enim electionis declaratio & ſignificatio præcedentis. Palliũ uerò Abiæ diſciſſum, ſignum erat regnum Iſraëlis in partes fore findendũ, ac decem tribus ceſſuras Ieroboamo. Cum uerò regnũ poſt mortẽ Solomonis demum acceperit, quis non uideat cum pallio Regnum non eſſe traditum & exhibitum? Ita ſceptrũ non offertur niſi electo iam regi. Primũ enim creatur aut eligitur rex: deinde offertur ipſi ſceptrum & corona. quibus collatis regni proceres palã declarant & ueluti obſignant, quod coronatum pro rege ſuo agnoſcant. Ergo poteſtatem regiam non demum ſibi exhibitã à principibus accipit: eam enim ſimul atq; electus fuerat accepit, ſed adhibitis ſignis declaratur & confirmatur in ipſo, quod præceſſit. Similis ratio eſt in oblatione clauium & cõſertione

Pallium Abiæ.

Sceptrũ, & corona.

Oblatio clauium

sertione dextrarum. Accedit enim ad urbem princeps aliquis, cui ciues mox claues offerunt, symbolum & declarationem, quòd ipsi in se omnem potestatem permiserint. Cons traximus & certis articulis compositis cõcluſimus uenditionem aut emptionẽ aliquã: eandem ergo mox consertione dextrarũ firmamus. Quis oro tam demẽs, ut dicat agros boues, aut ædes simul cum consertione manuum exhibere? Signo exterius adhibito testamur rem omnino confectam, firmã ratãq; esse debere. Confutatis his, redeamus iam ad nostra.

Cõsertio dextræ.

Sacramẽtis nõ exhibere res signatas.

Recipit nos in fœdus suũ per gratiam & misericordiam suam in Christo Iesu, solus pater cœlestis: regenerat nos, & filos Dei efficit solus pater misericordiarum & Deus sanctificans, idem ut diues Dominus imbuit nos uariis chrismatibus. redemit nos solus Dei filius tradito corpore & effuso sanguine: idem solus cibat & potat nos ad uitam æternam: sed non tunc primum, cum participamus sacramentis. neq; ea quæ morte & gratia sua nobis parauit, demum per sacramenta applicat & exhibet, tanquam per instrumenta aut organa. Ostendimus enim per fi-

dem

dem ſolam nos participes fieri cœleſtium donorum, id quod modo plenius claris ſcripturarum teſtimoniis declarabimus. ſed & illud euidenter demonſtrabimus, ſanctos prius ipſis rebus quam ſignis participare. Eunuchus ille cuius mentionem faciunt Acta Apoſtolica, uiſa ex itenere aqua, dicit ad Philippum: Ecce aqua, quid uetat, quò minus baptizer? Dixit autem Philippus: Si credis ex toto corde, licet. Et reſpondens, ait: Credo filium Dei eſſe IESVM CHRISTVM. Hic demum ſequitur. Et iußit ſiſti currum, ac deſcenderunt ambo in aquam, & baptizauit eum. Act. 8. capite. En quid dici poterat apertius? Credidit toto corde IESVM CHRISTVM Eunuchus, & ita quidẽ credidit priuſquàm baptizaretur. Videamus ergo quid pronũtiet uerbũ Dei de fide, qua toto corde, integra uidelicet mente, uerè & nõ hypocriticè credimus Ieſum eſſe Chriſtum uerum Dei Filium. Audiatur hic Ioannis ille tonitrui filius, dilectus Domino Diſcipulus, idem Apoſtolus & Theologus magnus. Omnis qui credit Ieſum eſſe Chriſtum, ait, ex Spiritu ſancto, ex Deo natus eſt. Item: Quisquis 1. Ioan. 5.

confeſs

1. Ioan. 4 confessus fuerit quod IESVS est Filius Dei, Deus in eo manet, & ipse in Deo. Audiatur & clarissimus ille Gentium doctor & organum electum Apostolus Paulus. Si confessus fueris, inquit, ore tuo Dominum Iesum, & credideris ei in corde tuo, quod Deus illum excitauit à mortuis: saluus eris. Rom. 10. Audiatur deniq; ipse Apostolorũ princeps & Magister Dominus & saluator noster IESVS in Euangelio dicens:

Ioan. 3. Qui credit in eum, non condemnatur: qui uerò non credit, iam condemnatus est, quia non credit in nomen unigeniti Filij Dei. Audiatur rursus Euangelista idem & Apostolus Ioannes: Qui credit, inquit, in Filiũ Dei,

1. Ioan. 5. habet testimonium in seipso. Et hoc est testimonium quòd uitam æternam dedit nobis Deus, & hæc uita in filio eius est. Qui habet filium, habet uitam: qui non habet filium Dei, uitam nõ habet. Ex his autem omnibus sic colligimus: Eunuchus credidit priusquã baptizaretur, ergo ex Deo natus erat, in quo manebat ipse, & Deus in ipso, iustificatus erat Deoq; acceptus, adde quod per Christum uiuificatus, uitam iam habebat in seipso, idcirco baptismus subsequens eunucho

non

non exhibebat, quod habebat prius, sed ces-
sit ei in testimoniū ueritatis: declarabaturq;
palàm, quòd pertineret in consortium filio-
rum Dei. De qua re paulò post plura dice-
mus. Ad eundem modū legimus de Cornelio
Centurione, quòd concionantem audierit
Petrum, mente utiq; fideli & sancta. Vnde
scriptura dicit, Adhuc loquente Petro eccis
dit Spiritus sanctus super omnes qui audie-
bant sermonem. Et adiungit mox. Tunc di-
xit Petrus. Numquis prohibere potest quò
minus aqua baptizentur hij qui Spiritum
sanctum acceperunt sicut & nos? Act. 10.
cap. Habemus ergo in his clarissimum exem
plum & testimonium irrefragabile, baptis-
mo non primum exhiberi, quod eo significa
tur: sed adesse prius, cui demde accedēs bap
tismus, idipsum testificatur & obsignat.
Rursus legimus in Actis Apostolorum, cap.
2. Qui ergo libenter acceperunt sermonem
eius, baptizati sunt. Quid autem aliud est
recipere uerbum Dei, quàm credere & ser
uare illud? De his uerò qui credunt & cus
stodiunt uerbum Dei, quid quæso pronun-
ciat scriptura? Amen amen dico uobis, qui Ioan. 8.
sermonem meum seruauerit, mortem non

Ioan.14. uidebit in æternum. Et iterum: Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum ueniemus, & mansionem apud eum faciemus. Proinde qui baptizabantur, uiuebant: & fœdere cum Deo erant coniuncti, priusquam tingerentur. Aut cur obsecro baptizamus infantes nostros, an quia corde credunt & ore confitentur? Non arbitror. Num ut uitam ipsis conferamus, liberemusq; à morte, in qua nisi baptizentur, maneant? Hoc dicat, qui credere potest Deum nobis post exhibitũ Christum inclementiorẽ factum, quam fuit priscis illis patribus ante Christum incarnatum. Hi enim fœmellas non circumciderunt, & masculos octaua demum die circumciderũt: erant tamen illæ nihilominus in fœdere & societate Dei. Quòd si puer intra octiduum incircuncisus decederet: nemo tamen de eius dubitabat salute. Id quod uel exlætissimis consolationeq; plenis cum uerbis tũ gestibus religiosissimi serui Dei Dauidis colligere licet, quæ describuntur. 2. Sam. 12. cap. An ergo non ideò baptizamus infantes nostros, quia Deus illos sibi adducere iussit? quia promisit se Deum nostrum & seminis

Quare baptizãtur infantes.

nostri

nostri futurum? quia denique credimus infantes ex mera Dei gratia per sanguinem Iesu Christi adoptatos esse hæredes æternæ uitæ, qui sua natiuitate & natura sunt hæredes mortis & condēnationis æternæ? Propter has inquàm causas baptizātes infantes, abunde testamur baptismo iis id nequaquā exhiberi, quod habuerunt prius. Coniungamus his & testimonium de Cœna Domini. Paulus Apostolus docens, quomodo sancti se præparent conuiuio Dominico. Probet, inquit, homo seipsum, & sic de pane edat, seipsum & sic de poculo bibat. Cæterum probare significat scrutari, quātum scilicet ab homine fieri potest, cor, & diligenti perquisitione facta excutere mentem & conscientiam. Ita enim dicitur Deus probare corda nostra Et idem Apostolus iubet probare quæ sit bene placens Deo uoluntas. Discussio autem illa fieri non potest citra scientiam & iudicium. At scientia & iudicium Christianorum fides est. ergo quicunq; se probat priusquam ad Cœnam ueniat, fidem habet. Porrò si fidem habet: bene ipsi conuenit cum CHRISTO, cui quidem insertus remissionem peccatorum & fidem habet, atque

Probet homo. 1. Cor. 11.

Rom. 12. Eph. 4.

eo nomine gratias agere beneficio & liberali Domino desyderat. Ideoq; credenti non exhibetur per Cœnam dominicam, Christi cõmunio, remissio peccatorum & uita. Hæc enim simul atq; credit pius, in animo habet, sentit, possidet.

Hac demonstratione confecta uiciq; opinor, euidenter satis, Dominum per signa nõ exhibere, quod signis significatur. Cum aũt accidit, ut participans sacramentis eo ipso puncto quo sacramẽtis communicat, credere iam incipit, totum id quod rerum significatarum percipit, dono spiritus & beneficio fidei percipit.

An sacramẽtis plenius exhibeantur res.

Quod quidam aiunt res significatas nũc plenius exhiberi cum signis, quam prius sine signis per fidem & Spiritum sanctũ, nec ipsum per omnia congruit scripturis. Quã si uerò pater noster Abraham plenius sit acceptã circuncisione iustificatus, quam fuerit nondum circumcisus. Sed quid dicit scriptura? Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad iustitiam. Ad hæc, iustificatio uenit Abrahæ ante circumcisionem, quod & Paulus urget. 4. ca. ad Rom. Quod si signa plenius sanctificant, iustificant & perficiũt,

quàm

quàm fides, reuixit sanè & obtinuit Pharisaica sententia, perhibens fide sine externis non perfici hominem: his autem accedentibus pleniſsimè absolui. Ad ea uerò quid dicit Paulus? Hoc solum cupio discere à uobis, utrum ex operibus legis accepistis spiritum, an ex prædicatione fidei? Adeo stulti estis, cum spiritu cœperitis, nunc carne consummini? Galat. 3.

Habet interim fides augmenta sua, quæ Spiritus Dei irrigatione amplioreq; accessione increscunt, uerbi prædicatione excoluntur, & sacramentorum sancta celebratione iuuantur & excitantur, non exhibentur. Quod si isti intelligunt per exhibitionem, repræsentationem, qua uidelicet modo sacramentis proprio: res significatæ per signa oculis ac reliquis sensibus obiiciuntur, atq; eo nomine plenius per signa exhiberi dicuntur, quod iam non animus dumtaxat hominis credit & donis intra se fruitur spiritualibus, sed an res quoq; commemoratione celebrium rerum significatarum percelluntur: oculi item corporei iam ipsa quoq; ueritatis signa coràm cernunt, quæ ab ipso instituta Domino tacitè loquuntur, actioneq; Augmẽta fidei. Quomodo sacramentalis res exhibeatur.

ſymbolica totũ redemptionis noſtræ myſte-
rium referunt: iam nihil deſyderauerim, niſi
ut quod recte ſentiunt perſpicuè explicẽt.

An res ſignificata exhibeatur per miniſtrũ.

Rurſus quod dicunt Deum res ſignificatas exhibere per miniſtrum: & ipſum imprudentius dictum, ſua habet pericula, ne quid interim addam acerbius. Abripitur uulgus in nimiam miniſtrorum admirationem, cum audit ſe opera miniſtrorum cœleſtia accipere dona. mox aũt plus à miniſtro, quam ab ipſo Domino pendent, & plus literæ tribuit quàm ſpiritui. Quondam ecclæ exornarunt ſe huiuſmodi fuco malæ fidei ſeruli: ac penetrarunt hac ſua authoritate in animos & conſilia Principum. deinde & in ipſa regna & opes mũdi. aſſecuti uerò quod malè ſuaſit & uoluit libido, Pſychotyranni facti ſunt. Ac niſi cauemus hodie diligẽter, uigilat inimicus ſalutis noſtræ, architectus ille artiũ & magiſter mendaciorũ: herbeſcit & gliſcit in ſingula momenta ſuperbiſſimi hominis ambitioſa caro, uigetq; malè ſuada libido, & inexplebilis ſeruorum auaritia. ut proclíue ſit fœdis illis ſemelq; deiectis & diſſipatis erroribus, rurſus fruticantibus implicari. Scripturam ergo, uerbum Dei, regulam

regulam uitæ & ueræ salutis doctrinã consulamus, & sequamur in omnibus.

Hæc testatur dictũ quidem esse Apostolis à Domino: Quorumcunq; remiseritis peccata, remittuntur, & quorũcunq; retinueritis, retẽta sunt. Testatur eadem scriptum esse de Ioanne Baptista. Præcedit ante Dominũ cum spiritu & uirtute Heliæ, ut conuertat cor patrum in filios, & inobedientes ad prudentiam iustorũ. Rursus de Apostolo scriptũ legimus: Mitto te ad populos, ut aperias oculos eorũ, ut conuertantur à tenebris ad lucẽ, & à potestate sathanæ ad Deũ, &c. Act. 26. Sed & Paulus ipse dixit. In Christo Iesu per Euangeliũ uos genui. Cæterũ si quis expendat, non uerba tantũ, sed & rem ipsam, fidei ingeniũ, absurda, & alios scripturę locos: dicet, certo & peculiari quodam loquẽdi modo ministris propter annũtiationẽ Euangelij certã, tribui improprie, quod reuera & proprie ipsius est Domini. Solus enim Dominus retinet & remittit peccata: solus cõuertit corda: solus aperit oculos, solus regenerat: nullus mortaliũ hoc potest uel facit: dicitur tamen & minister retinere & remittere peccata, cõuertere corda,

Quomodo remittant peccata Apostoli.

Luc. 1.

v. 17. 18.

1. Cor. 4.

aperire oculos, & regenerare: eò quod missus à Deo illũ prædicat, qui certò remittit, deniq; modum & rationem ostendit, quomodo regeneramur, & ad illum deducit, qui solus seruat. Ea ratione & eo modo appellantur Apostoli & Prædicatores in scripturis
Abd.1. seruatores. Alibi uerò discretè & iustè ac
Act.16. gens scriptura, suum cuiq; incofuse tribuit, Deo uidelicet potestatem & uirtutem, ministris uerò ministerium, rei quidem exter-
1.Cor.4. næ non internæ. Nam Paulus: Sic nos æstimet homo, inquit, ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei. Et clarius
1.Cor.3. multò: Quis, ait, est Paulus, quis aũt Apollos, nisi ministri per quos credidistis, & ut cuiq; Dominus dedit? Ego plantaui, Apollos rigauit, sed Deus dedit incrementum. Itaq; non qui plantat est aliquid, neq; qui rigat, sed qui dat incrementum Deus. Et iterum: Etenim Dei sumus cooperarij, Dei agricolatio, Dei ædificatio uos estis. Et sancti Apostoli & omnes ministri Christi & Ecclesiæ, cooperarij dicuntur Dei. Deus enim utitur eorum operâ in plantanda Ecclesia: at ipse operis effectus & omnis uirtus, laus & gloria solus Dei est. Versatur enim

ministerium nostrum circa externa, Deus operatur in animis. Ideo dicitur: Dei agricolatio uos estis. Ergo Petri opera uitur Act.10. Dominus in conuertendo Cornelio, sed ipse imbuit hunc spiritu suo, & menti illuxescit. Quanquàm interim opus Petri, opus Christi quoq; sit. Sic autem Petrus Dei cooperarius est, ut tamen nihil sibi uendicet. Iam in sacramẽtis similis est ratio. Qui enim dixit: Ioan.1. Ego sum uox clamantis in deserto, idem distinctissimè etiam dixit: Ego baptizo aqua quidem, sed qui post me uenturus est, Mat.3. baptizabit uos Spiritu sancto. Rursus in Euangelio testificatur Dominus: Amen amẽ dico uobis, non Moses dedit uobis illum panem de cœlo uerum, sed Pater meus dat uobis, Ioan.6. Minister ergo aqua baptizat, Spiritu sancto non baptizat: minister symbolum exhibet corporis & sanguinis Domini, ipsum panem uitæ non exhibet, neq; Dominus per illum exhibet. Est enim ipsi alia ratio exhibendi & sese insinuandi cordibus, per spiritum scilicet in fide.

Adiungam his satis alioqui firmis, quæ- Distindam ex Augustino testimonia quibus demõ guendum strem quàm religiosè distinguendum sit in- religiosè

Inter potestatem & ministerium.

ter potestatẽ & ministerium: quòdq; ministro tribuenda sit signi dispensatio, non exhibitio rei signatæ. Tracta. in Ioan. 5. dicit: Didicit Ioannes potestatem baptismi Dominici in nullum hominem à Deo transituram. potestatem à Domino in neminem ministrorum: ministerium, & in bonos & in malos. Non exhorreat columba ministerium malorũ, respiciat Domini potestatẽ. Quid tibi faciet malus minister, ubi bonus est Dominus? Quid te impedit malitiosus preco, ubi benevolus est iudex? Ioannes didicit per columbã hoc. Quid est quod didicit. Ipse repetat. Ipse mihi dixit, inquit: Super quem uideris spiritum descendentẽ sicut columbã, & manentem super eum, hic est qui baptizat spiritu sancto. Non ergo te decipiant ô colũba seductores, qui inquiũt: Nos batizamus. Columba agnosce, quid docuit colũba. Hic est q̃ baptizat spiritu sancto. Per columbã discitur, quia hic est. & tu eius potestate te putas baptizari cuius ministerio baptizaris. Si tu hoc putas, nondũ es in corpore colũbæ: non mirandũ: quia simplicitatem non habes.

Ministri res signa

Et reliqua. Et iterum. Potuit, ait, Dominus noster Iesus Christus, si uellet dare potestatem

tem alicui ſeruo: ut daret baptiſmum ſuum, tanquã uice ſua, & tranſferret à ſe baptizan di poteſtatẽ, & cõſtitueret in aliquo ſeruo ſuo. & tantã uim daret baptiſmo tranſlato in ſeruum, quantam uim haberet baptiſmus datus à Domino. Hoc noluit ideo ut in illo ſpes eſſet baptizatorũ à quo ſe baptizatos agnoſcerẽt. Noluit ergo ſeruũ ſpem ponere in ſeruo. Ideò clamabat Apoſtolus cum uideret homines uolẽtes ſpem ponere in ſeipſo. Nunquid Paulus pro nobis crucifixus eſt? aut in nomine Barnabæ baptizati eſtis? Baptizauit ergo Paulus tanquam miniſter, nõ tanquã ipſa poteſtas. Intendite, potuit hanc „ poteſtatem ſeruis dare, ſed noluit. Si enim „ daret hanc poteſtatem ſeruis, id eſt, ut eiſ ſorũ eſſet quod Domini eſt, tot eſſent baptiſmata quot eſſent ſerui. Et cætera. Idem rurſus lib. de Trinit. 15. cap. 26. Quomodo Deus non eſt, inquit, qui dat Spiritum ſanctum? imò quãtus Deus eſt, qui dat Deum? Neque aliquis Diſcipulorum eius dedit Spiritum ſanctum. Orabant quippè, ut ueniret in eos, quibus manus imponebant: Non ipſi eum dabant. quem morem etiam in ſuis præpoſitis etiam nunc ſeruat Eccleſia.

Deniq;

ces ſacra mentis ui ce Domi ni non ex hibent.

Deniq; & Symon Magus offerens Apostolis pecuniam, non ait, Date & mihi hanc potestatem ut dem Spiritum sanctum: sed, Cuicunq; imposuero manus, ut accipiant Spiritum sanctum. Quia neq; scriptura superius dixerat, Videns autem Simon quod Apostoli darent Spiritum sanctum: sed dixerat: uidēs autem quod per impositionem manuum Apostolorum daretur Spiritus sanctus. In hoc quod de Christo scriptum, quod acceperit à Patre promissionem Spiritus sancti & effuderit, utraq; natura demonstrata est, & humana scilicet & diuina. Accepit quippe ut homo, effudit ut Deus. Nos autem accipere quidem hoc donum possumus pro modulo nostro, effundere aũt super alios, non utiq; possumus: sed ut hoc fiat, Deum super eos à quo hoc efficitur, inuocamus. Hæc August. Vbi illud obseruandum uenit, locum Pauli 2. Corint. 3. non literæ, sed spiritus sumus ministri: non ita intelligendum quasi ministri conferant Spiritũ sanctum, sed quòd mysterij Euangelici, non legis Mosaicæ sint ministri, annunciantes uidelicet, non legem, non literam, non typos aut umbras, sed lucem mundi ipsum Dei filium, qui sua uirtute credentibus

Nemo hominũ dat Spiritum sanctum.

Non literæ sed spiritus ministri.

dentibus confert Spiritum ſ. Et eum quidem ſenſum conſequentia mox uerba ſuppeditãt clariſſime. Hactenus demonſtraui Dominũ res ſignificatas ſacramentis non exhibere cum ſymbolis per miniſtrum, adeoq; ſacramenta id non exhibere, quod ſignificant.

Opponunt his, ſat ſcio, quibus perſuaſum eſt ſacramenta exhibere res ſignificatas. Si non exhibent res ſignificatas ſacramẽta: ergo inania & uacua ſunt ſigna: ergo fideles in his aut per hæc nihil percipiunt: ita uerò ſymbola. Deus ipſe, qui ueritas eſt, mendacij poterit redargui, quippè qui dicit ſe dare quod non dat. Ad ea nos paucis ſic reſpõdemus. Vacua ſigna ſi impletis, ut ſic dicã opponunt: ut uacua ſigna dicãtur, quæ gratiã Dei & res ſignificatas nõ continẽt incluſas: aut ſecũ habent cõmixtas, ingenuè profectò uacua quã impleta confiteri malo. Si uerò uacua. i. prophana, quæ uidelicet nihil differũt à uulgaribus: nuda inefficaciaq; intelligunt, iam profitemur nos ſacra non prophana, efficacia nõ inefficacia, diuinitus exornata non nuda, adeoq; plena non ſuperuacanea aut uacua habere ſacramenta. Sacra enim ſunt non prophana, quia ab ipſo Deo inſtituta ſunt, & efficacia

An nuda, inania & uacua reddantur

Sacra & efficacia

pro

sacramenta. pro sanctis quidem instituta sunt. Efficacia, non inefficacia sunt. Nam prosunt piis plurimum: eumq; finem & effectũ consequuntur, ad quẽ instituta sunt.. De quo mox plura dicemus. Diuinitus enim exornata non nuda iure dicuntur, quæ diuinũ habent uerbũ, quo pulchrè exornantur. Itaq; plena non uacua sunt. quia ea habent quibus plenũ & legitimum conficitur sacramentum. Vnde monui superius, ipsa licet per manus ministrorum offerantur, attamen uelut ex ipsis Domini manibus esse suscipienda. Cera cum fidei testimoniũq; gratia literis aut tabulis non appenditur, uulgaris, uacua & nuda est cera: hoc est, nihil aliud quam cera. ubi uerò signatur & apponitur instrumentis: amplius nec uacua nec nuda est cera. Nã fides & ueritas dicitur. Signum Principis uel rei publicæ alicuius dum pingitur in fenestris, aut parietibus, nudũ est signum: at magnum habet discrimen, si idipsum appendatur tabulis aut literis. Nunc enim Principis aut Reipublicæ uoluntatem declarat & obsignat, & eam apud omnes existimationẽ habet, ut præter Principis aut Reipublicæ uoluntatem alieno alicui diplomati applicasse

Plena nõ uacua sacramẽta.

uel

uel uiolasse, crimẽ reputetur & falsationis & lesæ maiestatis. Lapis cum nondũ limes & terminus est cõstitutus agrorum, nudus & uacuus, id est, uulgaris est lapis, quẽ pedibus perculcasse aut loco anouisse nihil habet piaculi. at dirimendis agrorũ finibus adhibitus, amplius non est uacuus aut nudus lapis, sed testimonium legitimæ diuisionis, iustæq; possessionis: quem loco mouisse capitale iudicatur. Itaq; aqua, panis & uinũ extra usum sacramentalẽ, nihil aliud sunt quàm aqua, panis & uinum: porrò in usu sacramẽtali, quoniam aqua baptismi destinata est à Domino, ut seruiat sanctificationi repræsentandæ: panis item uinumq; Cœnæ instituta sunt renouandæ redemptioni per Christum factæ: quoniã deniq; uerbum Dei, ceremonias sacras, & sanctum finẽ habẽt: certè nec uacua nec nuda signa, sed ab his longè distinctißima sunt. De qua re attulimus quædam & superius cũ diceremus de consecratione.

Non nihil percipiunt

Iam qui sacramentis participant, & illud percipiunt à Domino, quod oblatũ est: non percipit nihil percipiunt, nisi nihil iure uocetur donũ qui sacra & institutio Christi. Instituit aũt Dominus mentum sacramenta, ut sint signa ueritatis, & obsignent

percipit.

gnent promissa, ut reuocent beneficia Christi ingentia, nõ itaq; res leues & nihil sunt. Nam ueræ fidei exercitia & delatæ iam dudum gratiæ & communionis omnium bonorũ cum Christo cõtinuatio quædam aut renouatio sunt. Ergo cum, dicimus communicantẽ sacramentis, dona Dei percipere: per continuationem, exercitationem adeoq; renouationem id dicimus. Alioqui enim si perrexerimus asserere sacramentis primum offerri, dari aut exhiberi dona & communionem Christi: fateri cogimur, nos nullam habuisse ante usum sacramenti cum Christo cõmunionem, ergo neq; ullã fidẽ. At Paulus dicit ideò nos esse consortes & hæredes Christi, & fratres: carnem nostram, mortemq; nobis sua morte aboleuit, spiritum item ac dona sua nobis contulit, quæ omnia fide receperimus.

Quomodo res ipsæ percipiantur in sacramentis.

Heb. 2. Eph. 2.

Deus non est mendax.

Ita Deus qui ueritas est, mendax non est. Dixit enim testis ueritatis Ioannes Apostolus: Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei maius est. Quoniam hoc est testimonium Dei, quo testificatus est de filio suo. Qui credit in Filium Dei, habet testimonium in seipso. 1. Ioan. 5. En qui credit

credit in Filium Dei, inquit, testimonium habet in seipso. testimonium inquam, id est, rem testatam? uitam inquam & salutem in Christo æternam. Nam per interpretationem sequitur: Et hoc est testimonium, quòd uitam æternam nobis dedit Deus. Et hæc uita in filio eius est. Qui habet filium, habet uitam, &c. Iam cum Deus uerax sit & mẽtiri non possit, testetur autem eos in seipsis habere uitam, qui credunt in filium: necesse est ergo uerum esse, eos uitam habere & omne bonum, qui credunt in Dominũ Iesum. ergo non tum demum illa percipiunt, cũ sacramẽtis participant: nisi Deus in uerbo suo sibi ipsi sit aduersus. Quod de æterna ueritate indignum est uel cogitare. Præterea nullibi dixit Deus se daturum res significatas cum signis. ergo cum non dat, non fallit, non mentitur. Neq; enim pane porrecto dixit: Cum hoc pane accipite corpus meum & edite, sed panem accepit, dedit illis, & dixit, Edite: Hoc est corpus meum. De quorum uerborum genuina sententia disserui in superioribus. Panem dat suis Dominus sui ueri corporis symbolum. Quod autem tu tibi aliũ ex uerbis Domini sensum colligis, Deo

non magis fraudi fuerit, quàm si uiro bono mendacium impingas, non alia causa, quàm quod tibi id non præstat quod expectaras. cum interim hoc quod expectasti non promiserit, sed tu prauo intellectu tibi promissum perperam putaueris. Hæc ad illorum obiecta respondimus.

## CAPVT DVODECIMVM:

Quæ sit virtus, quæ vera institutio, quis finis & vsus sacramentorum, & quod præcipue instituta sunt, ut testentur & obsignent.

T HACTENVS per digressionẽ quandam ostendimus, quæ sit similitudo & differentia sacramentorũ ueteris & noui Testamenti: & quod nostra sacramenta neq; conferunt, neq; continent gratiam, imò etiã hoc quod significant, non exhibent. redimus modo ad id quod cœperamus, ad caput inquam huius disputationis primarium: ut quandoquidem quid illa non efficiunt dixi-

mus,

mus, tandē quid reuera efficiant adiiciamus. explicantes uidelicet quæ sit uirtus, quæ uera institutio, quis finis & usus sacramentorum legitimus: ad quē à Deo instituta sunt. Attigi quidem causarum locum ferè in principio libri: cæterum modo & alia adiungam, quæ huc pertinent, & singula tradam fusius ac planius.

Præcipuus sacramentorum finis illæ est, quod ueritatis testimonia sunt, per quæ Dominus in Ecclesia sua etiam uisibiliter testificatur res Euangelica prædicatione annunciatas, promißionibusq; ab exordio mundi promissas fidelibus, ita omnino gestas esse & certò sic habere: quēadmodum annunciātur & promissa sunt uerbo ueritatis. Ita baptismus diuinum & publicum in Ecclesia Christi testimonium extat: quo testificatur Dominus se eum esse, qui recipiat homines in gratiam gratuito, & qui participes hæredesq; nos faciat omnium bonorū suorum. Ad eum enim modū circūcisio quondā publicū & diuinū fuit testimoniū, Deum esse qui purget & adoptet. Ideo enim Moses Deut. 30. Circūcidit, inquit, Dominus Deus tuus cor tuū & seminis tui, ut diligas Dominum

Deum tuum ex toto corde tuo, &c. Eadem ratione ipse Dominus instituta in Ecclesia Cœna sacra palam attestatur signis exhibitis, corpus suum certo pro nobis traditum, & sanguinem suum uere in remissionē peccatorum nostrorum effusum esse. se item uiuificum esse cibum qui reficiat ad uitam æternam. Idcirco legimus apud Chrysostō. Hom. 83. in Mat. in hæc uerba: Sicut in ueteri eodem hic modo in beneficio reliquit, memoriam mysteriorum colligendo, & hinc hæreticorum ora frenando. Nam quando dicunt: Vnde patet Christum immolatū fuisse & alia multa mysteria. Hæc enim afferētes, ora eorum consutimus. Si enim mortuus Iesus non est, cuius symbolum ac signū hoc sacrificium est? Hæc illæ. Intelligis opinor, ut hic scriptor symbolum Cœnæ pro testimonio ueritatis, ueræ inquam mortis Dominicæ, cōtra Hæreticos proferat. Quemadmodum itaq; Euangelium appellatur testimonium, & prædicatores Euangelij testes, sic sacramenta nuncupamus ueritatis eiusdem testimonia, muta quidem illa sed uisibilia tamen, quo nomine S. Augusti. eadem appellauit uerba uisibilia. Euangelij enim prædicatio,

Euangelium testimonium.

qua

quæ constat uerbis, quæ hauriuntur auribus, testimoniū est loquens: sacramenta uero quæ signis constant, & percipiuntur uisu, testimonia sunt muta, & quasi appendices & monimēta Euangelicæ prædicationis.

Imo inuenta sunt diuinitus sacramenta, ut bonam & propensam erga nos Dei uoluntatem, ut prædicationem Euangelicam adeoq; omnes promissiones uitæ, salutis uisibiliter obsignent, sintq; Euangelio & promissionibus diuinis uelut appēsa sigilla, quæ testificentur atq; confirment fidem in Christum ueram esse iustitiam. Quòd dixi scriptura approbabo Apostolica. Docui autem superius, eandem esse rationem sacramentorum ueteris & noui Testamenti, pauculis modo exceptis. ut iam iure optimo posimus ex collatione utrorumq;, nostrorū uim, finē, & usum æstimare. Paulus ergo ad Rom. 4. cap. Dicimus, inquit, quod imputata Abrahæ fides fuerit ad iustitiam. Quomodo ergo imputata est? Cum esset in circumcisione, an cum esset in præputio? Non in circūcisione, sed in præputio. Et signum accepit circumcisionis, signaculū iustitiæ fidei, quæ fuerat in præputio: ut esset pater omnium

Sacramēs beuolens tiam Dei erga nos obsignāt uisibilis ter.

credentium per præputium, uidelicet ut et iam ipsis imputaretur iustitia: simul & pater circumcisionis esset, non eorum modo, qui ex circumcisis sunt, sed & eorum qui ingrederentur uestigiis fidei, quæ erat in præputio patris nostri Abrahæ. Hæc omnia Pauli sunt, in quibus primum quidē uoces aliquot explicnadæ uidentur: deinde indagandus erit sensus uerborum Apostoli: postremo adaptabimus illa nostra negotio sacramentario.

Sacramēta sigilla sunt: & quis sit usus sigillorum.

Vtitur in præsenti Apostolus duabus uocibus, signi uidelicet & signaculi. Signum σῆμειον generalius est & patet latissime. Signaculum uerò σφραγὶς singulare est sacramentis obsignātibus. Neq; enim omnia signa obsignant. Nam quædam significandumtaxat absoluunt suum officium. Est aūt σφραγίζειν proprie obsignare fidei faciēdæ confirmandæq; gratia. unde σφραγὶς sigillum erit, quod fidei seruandæ confirmandæue, cauendisq; fraudibus, adhibetur. Imitatur hic quoq;, ut aliàs sæpe morem humanum Dominus. Solemus enim homines scripta fœdera, seu uerbis datam fidem, appensis roborare sigillis. Et sigillorum institutionem

tionem & usum huiusmodi semper fuisse, colliquescit ex his scripturæ testimoniis. Cum filij Israel sub Esra fœdus inirent cum Domino, mox fœdus in literas referunt, & scripturam in ueritatis testimoniũ obsignãt sicuti uideri licet Nehem. 9. cap. Hag. 2. ca. legis: Assumam te Zorobabel fili Salathiel, serue mi, dicit Dominus, & ponam te quasi annulum signatorium, quasi elegi te. Quasi dicat, In Salathielis filio omnes certò discẽt, supereſſe, per quem sit propaganda Messiæ posteritas. Ita scribit Iere. in. 22. cap. Viuo ego dicit Dominus, quia si esset Chonenias filius Iehoiakim regis Iuda, sigillũ in manu mea dextra, tamen inde auellam te. Id quod perinde est ac si dixisset, quamuis ille sis, in quo promissiones meas seruabo, attamen in Babylonẽ abduceris. Huc pertinet illud ex Mat. de Iudæis scriptũ. Illi aũt abeuntes mu Mat. 27.
nierunt sepulchrũ obsignato lapide, nimirũ contra fraudes, adhibitis custodibus. Liquet ergo ex his, quis sit usus sigillorum.

His iam sic expositis, perquiramus cõsi- Exponi-
lium & sensum uerborũ Apostoli. Demon- tur locus
strat Paulus iustificationem hominibus ob- Pauli Ro.
tingere nullorum operum nullarúmue, cere 4. & ac-

cepit signum circumcisionis.

moniarum uirtute: sed solius Christi beneficio per fidem. Ad hoc confirmandum adducit exemplũ Abrahæ, de quo scriptura pronuntiauit: Crædidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad iustitiã. Inde colligit Abrahamum esse iustificatum fide, imo hanc illi imputatam esse pro iustitia. Vbi & ex uocabulo aut ui imputationis, & ex tota Mosis sententia, prævalidè argumentatur: demõstrans gratiæ per fidem esse iustitiã. Quibus coniungit & ex Dauide testimonium, de imputatiua, ut sic dicam, iustitia. Deinde redit iterum ad Abrahæ exemplum: & locum adductum ex Geneſi ſuo applicat inſtituto, excußis circumſtantiis modi temporisq;, ac dicit. Quomodo ergo imputata est, cum esset in circumcisione, an cum esset in præputio? Non in circumcisione, sed in præputio. Quæ quidem apertiora sunt, quàm ulla expositione indigeant. Quia uerò Iudæus obiicere poterat. Inanis ergo & uana fuit circumcisionis inſtitutio & usus. Si enim prius iustificatus, quàm circumcisus fuit Abraham: quid postuit illi amplius conferre circumcisio? & si nihil contulit, certè superuacanea & inutilis fuit

lis fuit. Paulus per Antiphoram respondẽs, Et signum accepit, inquit, circumcisionis, signaculum iustitiæ fidei, &c. Circumcisio. ait, nec inutilis fuit, nec uacua est. Licet enim non iustificet, purget, dona Dei applicet: ideo tamen non sequitur, nullum eius usum esse amplius. Alium enim finem habet. Nam signum circũcisionis accepit in signaculum quoddã iustitiæ fidei. Hoc est, Deus instituit circumcisionem: ut esset sigillum ratificans atq; confirmans, adeoq; uisibiliter esset testificans, fidem esse iustitiam, hominesq; fide iustificari. ita inquam, ut his quoque fides imputetur ad iustitiam, sicuti Abrahæ imputata fuit. Nam sequitur: Vt esset pater omnium credentium per præputium, ut imputaretur & illis iustitia. Et reliqua. Et quamuis hæc luce clariora sint, conabor tamen eadem illa magis illustrare parabola. Finge enim Principem aliquem ex gratia & mera munificentia sua, seruum aliquem in aulam, adeoq; in participatum omnium bonorum recipere: insuper beneficium hoc ad liberos quoque posteritatemq; adoptati extendere. mox uero iubere ut transactio, priuilegium & gratia illa cons

Parabola illustratur.

fecta uerbis uiuis, referatur in literas, quas & appenso suo sigillo roboret, quo istæ posteris certum sit testimonium contra omnes tergiuersatores gratiam illã ad ipsos quoq; pertinere, principemq; in bona & propensa sua uoluntate perseueraturum erga posteros adoptati, si & ipsi fideles principi esse perrexerint. Ad hunc enim modũ Deus optimus, maximus Rex Regũ & Princeps munificentissimus gratis & nullo præcedẽte bono merito, euocat Abrahamum, in quem cumulatim innumera cõgerit beneficia, cui & fœdus communionemq; offert omniũ bonorum, nec ipsi modo sed & omnibus posteris eius, dicens: Ego Deus omni sufficientia, ero Deus tuus & seminis tui post te. Benedicam tibi & semini tuo. Imò in semine tuo benedicẽtur omnes cognationes terræ. Privilegium hoc etiam iuramento interpositio firmans sacro, mox & patres liberis ceu per manus uice scripturæ tradere, deinde uerò seruos suos Prophetas in literas referre iussit, ipse deniq; circũcisione instituta, uelusti iam literis aut traditioni appresso sigillo aut diplomate obsignato, toti posteritati obsignare & roborare uoluit, quo certò ad

se quoq;

se quoq; illud pertinere scirent.

Sacramẽta aliquid uiuidius habere tabulis obsignatis.

Vbi tamen illud non uidetur dissimulandum sacramenta diplomatis signatis aliquid maius & uiuidius habere. Inscribũtur enim priuilegia principum membranis, sigillaq; scriptis appendunt membranis: Deus uerò ipsis suorum corporibus suum imprimit sigillum. Membro enim genitali unde posteritas propagatur, circumcisionẽ indit, ut ueluti nota impressa ipsis corporibus, plus iam quam obsignaret testaretur q; benedictionẽ & communionem omnium bonorum pertinere ad circumcisos, si pergant esse fideles Domino Deo hominibus confœderato. Ideò enim significanter circumcisio à Paulo non signaculum iustitiæ dicitur, sed signaculum iustitiæ fidei, id est, ratificatio, quod fides sit iustitia, quod fide uidelicet iustificati iã sumus, siue quod credẽtibus debeatur iustitia, siue quod Deus fidelibus certò benedicere uelit, hisq; fidem imputare ad iustitiã sicuti & Abrahæ imputauit.

Quomodo obsignet baptismus.

Iam cum par sit ratio sacramentorum, liceet hæc quoq; nostris applicare sacramẽtis. Christus ergo Dominus, redẽpto per mortem innoxiã mundo à potestate Sathanæ, & iam

iam assensurus ad patrem in cœlos, uocatis
Mar.16. ad se Discipulis suis dicit: Ite in orbem uniuersum, & prædicate Euangelium omni creaturæ, qui crediderit & baptizatus fuerit, &c. Euangelica prædicatio explicat ingens, prætiosum, salutare, uuificum, munificum, regium, atq; diuinum priuilegium: quod filij Dei ex filiis Diaboli facti sumus, hæredes inquam Dei, cohæredes aũt Christi: qui sanguine fuso tantam nobis salutem parauit. Hac gratia Dei nemo excluſus est, nisi qui se suo uicio & culpa per inobedientiam excludit. Nam de liberis siue infantibus credentium, idem Dominus in Euange-
Mar.10. lio ait, pronuntians: Sinite puellos uenire ad me, & ne prohibueritis illos: taliũ enim est regnum Dei. Et iterum: Amen dico uobis
Mat.18. nisi cõuersi fueritis & efficiamini sicut pueri, non ingrediemini in regnum Dei. Et qui receperit unum puellum talem, me recipit. Videte ne contemnatis unum ex his pusillis. Dico enim uobis, quòd Angeli eorum in cœlis semper uident faciem patris mei, qui in cœlis est, &c. Neq; ueri simile est exhibito nobis Christo, Deum inclementiorẽ factum, quam erat dum nondum esset exhibitus. At

tunc

tunc dixit: Ero Deus tuus, & ſeminis tui poſt te. Valet ergo idipſum nunc magis, cũ Dominus uenerit quærere & ſeruare quod perierat: gratiam deniq; & dona ſua liberaliſſimè effundere in omnem carnem. Ergo priuilegium illud Regium ampliſſimum & diuinum, primum quidem ipſius Chriſti Domini prædicatione, mox & Apoſtolorum eius annuntiatione mundo expoſitum eſt. deinde uerò Deo ſic uolente idem ab Apoſtolis & Euangeliſtis relatum eſt in literas. ſacramentum uerò ipſe Dominus ceu ſigillum & appendicem adiecit prædationi aut ſcripturæ baptiſmum, ſubſtituens hunc circũciſioni, quam (quia cruenta, deniq; ſignũ uenturi ſeminis benedicti erat) abrogari oportebat. Baptiſmus autem ſuccedens circumciſioni, & ipſe eſt ſignaculum iuſtitiæ fidei. teſtimonium, & diploma obſignans, Deum, certò nos mundare & hæredes conſtituere uitæ æternæ. totamq; Euangelij ad baptizatos pertinere gratiam, ſi in fide uera conſiſtunt. At non credunt, ais, infantes Baptizãtur Chriſtianorum baptizati: fateor. Cæterum infantes non credebant Iudæorum infantes, qui nihilominus circumcidebantur, erantq; in fœdere credẽtes.

dere Dei & communione omnium bonorum: ut idem nostris tribuere infantibus uera iubeat pietas. Vbi adoleuisset semen Iudaicum, & præuaricaretur impiè, excidebat fœdere Dei. nam & Christianorum infantes gratia Euangelica excidunt: quando adulti impiè agunt. recipiuntur tamen in eandem rursus per fidelem pœnitentiam. Sed redimus. Baptismus sigillum iustitiæ fidei, non apponitur membranæ aut scripto Euangelio, sed accommodatur ipsis filiorum Dei corporibus, iisq; ueluti infigitur imprimiturq;. Toti enim corporibus nostris immergimur, aut toti aspergimur aqua baptismi, quæ sanè uisibilis obsignatio est, confirmans Deum uerum, Deum esse nostrum, sanctificantem ac purificantem, purificationemq; & omne bonum Dei: nobis tanquam hæredibus Dei deberi. Atque huc iam pertinet euidens ille Pauli locus, qui in Epistola ad Galatas sic legitur: Omnes filij Dei estis eo quod credidistis CHRISTO IESV. Nam quicunque baptizati estis, CHRISTVM induistis. Et reliqua. Gal. 3.

4 Similis est ratio Cœnæ Dominicæ, quæ & ipsa

quomodo Cœna Domini sit sigillũ iustitiæ fidei.

& ipsa est sigillum iustitiæ fidei. Moritur enim filius Dei, morte sua redimit credentes, corpore item sanguineq; suo cibat & potat nos ad uitam æternam. Ac singulare quidem excellensq; hoc priuilegium fidebus datum, annunciatur & scribitur ab Apostolis: sed ab ipso Domino consecratur, & obsignatur Sacramento corporis & sanguinis sui, quod obsignat fide nos in traditum Dominum iustificari, communicari nobiscum omnia CHRISTI bona, pasci & uegitari nos CHRISTO. Porrò ut obsignatio uiuidior esset, sigillum non apponit membranæ scriptæ, sed infertur, atq; adeò manducandum præbetur, corporibus nostris, ut testimonium intra nos habeamus, totum uidelicet CHRISTVM cum omnibus donis ad nos propriè pertinere, si in fide perseueremus. Nam ipse Dominus in Euangelio: Qui edit me, inquit, uiuet & ipse propter me. At edit, qui credit. Ibidem enim dicit DOMINVS: Ego sum panis uitæ, qui uenit ad me non esuriet: & qui credit in me, non sitiet unquam. Ioan. 6.

Ex his iam summam rei colligimus sacramenta

menta obſignare diuinas Euangelicasq; promiſsiones. ac proinde toties in Eccleſia tabulas ceu literas aut diplomata aut ſigilla prædicationis Euangelicæ diuinarumq; promiſsionum proferri: adeoq; & totum ſalutis noſtræ negotium renouari & continuari: quoties actiones illæ diuinitus inſtitutæ, ſacramẽta uidelicet in Eccleſia celebrantur.

Zuinglius de ſacramẽtis teſtificantibus certis. Huc pertinere arbitror quæ fidelis Chriſti miniſter Zuinglius de ſacramentis in hæc uerba prodidit: Sacramẽta teſtimonium rei geſtæ præbẽt. Vniuerſæ enim leges, mores, ac inſtituta: authores ſuos initiaq; prædicãt. Baptiſmus ergo cum Chriſti mortem & reſurrectionem ſignificando prædicat: eas uerè geſtas eſſe oportet. Extant hæc in Expoſitione fidei ad Regem Chriſtianum. Idem ad Principes Germaniæ contra Eccliũ. Cum homo ille nobilis, inquit, abiturus in regionẽ longinquam, panem ac uinum præbens, longè uiuidius & peculiarius ſeſe nobis dabat, cum diceret: Hoc eſt corpus meum, quàm ſi dixiſſet, hoc eſt ſymbolum corporis mei: etiamſi naturale corpus ſuum, ablaturus ac cœlo illaturus eſſet. Nihilo tamen minus ſeſe totum, quod ad fidẽ & gratiam pertinet,

his

*his uerbis donat. Quasi diceret: Nunc in mortem pro uobis eo, paulò post ex integro hinc migraturus. At nolo de amore & cura in uos mea ambigatis. Totus uester sum, quã tus sum. In cuius rei testimonium, huius meæ traditionis & Testamenti symbolum uobis commendo: quo memoriam mei, meorumq; beneficiorum excitetis. ut cum uobis hunc panem & hunc calicem exhiberi uideatis in memoriali Cœna: non aliter sitis mei memores, quòd scilicet me pro uobis tradiderim, quàm si uideretis me coràm: quemadmodum nunc uidetis, & uobiscum cõuiuari & mox ad supplicium pro uobis à uobis rapi. Hactenus Zuinglij uerba recensui, recensebo aũt rursus alia paulò post: non quòd illis innitar, sed ut perspicuum fiat, uirum illum non contempsisse, uti à quibusdam falso putatur sacramenta.*

*Interim agnoscimus hæc sancta sacræ scripturæ testimonia. Qui confirmat uos una nobiscum in Christo, & qui unxit nos Deus est, qui etiam obsignauit nos, deditq; arrham Spiritus in cordibus uestris. 2. Cor. 1. Item postquam credidistis, obsignati estis spiritu promißionis sancto: qui est arrhabo* Spiritus sanctus propriè obsignat.

hæreditatis nostræ in redemptionem acquisitæ possessionis in laudem gloriæ ipsius. Eph.1. Et iterum: Ne contristetis Spiritum sanctum Dei, per quem obsignati estis in diem redemptionis. Eph.4. Quemadmodū uerò doctrinæ atq; doctoribus confirmationem tribuimus, ita obsignationem sacramentis. Legimus autem in Act. cap.14. & .18. Reuertebantur Apostoli & denuo confirmabant animas discipulorum, exhortantes, ut perseuerarent in fide. Rursum.1.Thes.3. Misimus, ait, Paulus, Timotheum fratrem nostrum & ministrum Dei, ut confirmaret uos ac consolaretur. Cæterum nisi interior spiritus uis rapiat & commoueat auditorū corda, nihil efficiet exterior doctoris quantumuis bene instructa oratio, si uerò exeratur ac cooperetur: firmissimè corroborantur animi. Sic habet & negotium sacramentarium. Si enim desit interior unctio & obsignatio Spiritus sancti: actio exterior prorsus ab incredulis habebitur, non efficit tantillum sacramentorum obsignatio. cum uerò præcesserit fides (Spiritus sancti donū) firmissima est sacramentorū obsignatio. Et Zuinglius in libello ad Principes Germaniæ. Non

non

non offendit, inquit, etiamsi uniuersa quæ spiritus operatur, ad externũ sacramentum referũtur: dũmodo symbolicè dicta, quomodo patres locuti sunt intelligamus. Hæc ille.

Et quamuis sacramenta incredulis non obsignent promißiones, quibus diffidunt: nihilominus tamen sacramenta, ut obsignent diuinitus instituta sunt. Non recipit doctrinam Euangelicam impius, ideo tamen nemo colligit, doctrinam non esse à Deo ad docẽdum institutam. Est qui obsignato, diplomati non credat: ideo tamen non sequitur diploma signatum, fidei faciendæ au confirmandæ non seruire. Ergo cum doctrina apud rebellem nihil efficit, cum sacramenta prophanũ nihil monent, nec quicquam prosunt impio: id sanè non instituentis aut uerbi sacramentorúmue culpa fit, sed uitio increduli. Per se interim instituta sunt ut prosint & obsignent: suumq; in sanctis sanctũ usum & finẽ habeãt. Hæc aũt hactenus de prima sacramẽtorũ causa attulimus, quòd diuinæ ueritatis, addæ & beneuolentiæ erga nos diuinæ testimonia, & sigilla sunt Euangelicarũ promißionũ omniũ: obsignantia fidẽ esse iustitiã, & oia Christi bona pertinere ad credẽtes.

Incredulis nihil obsignãt Sacramẽta.

## CAPVT DECIMVMTERTIVM

Sacramenta repræsentare res significatas, repræsentandoq; fidem excitare ac iuuare: & de analogia signi & signati.

Sacramẽta repræsentant res.

EST & alius signorum sacramentalium finis & usus: quòd ui delicet significant & significando repræsentant. Id quod superuacaneũ esset pluribus approbare testimoniis, cum omnibus sit manifestißimum, saltem ex præcedentibus. Est autem significare indicare notisq; & signis rem declarare aut demonstrare. Repræsentare uerò non significat rem ablatam quondam, nunc rursus corporaliter, ut quidam nugantur, præsentem sistere, dare aut facere: sed similitudine & imitatione quadam referre, eamq; rursus reuocare in animum & oculis uelut obiicere. Dicimus enim filium repræsentare uel referre patrem, cum uidelicet forma & rerum similitudine patrem expri-

mit: ita

mitr ita ut qui hunc uidet, putet ſeipſum patrem ueluti præſentem cernere.

Et hæc quidem ratione excitant & adiuuant ſacramenta fidem noſtram, dum uidelicet foris obiicitur nobis: quod animum impellit, excitat & commonefacit. imò illud ipſum quod animo iam dudum comprehenſum eſt, nunc etiam modo quodam ſenſibus in ſimilitudine, parabola, aut typo, ſeu inuolucro, contemplandum uolutandumq; mente, uiſibiliter offertur, ut iam mutua inter ſe opera iuuent ur. Similitudo ergo ſeu analogia ſigni ad ſignatum obiter & in tranſcurſu hic conſyderanda eſt. Sacramenta excitant & iuuant fidem. De analogia.

Dixi ſuperius analogiam eſſe, aptitudinem, proportionem, & conuenientiam quãdam ſigni ad rem ſignificatam: ita ut hæc in illo quaſi in ſpeculo percipiatur. Exemplis res fiet illuſtriſſima. Recipit ex mera gratia benignus Dominus genus mortalium in omnium bonorum ſuorum communionẽ: & adoptat fideles, ut iam non modo ſint fœderati Dei, ſed etiam filij Dei. Id quod ſancta baptiſmi actione, quæ uice ſigni aut ſignum ipſum eſt, euidentiſſimè omnium oculis res præſentando obiicitur. Adſtat enim ad fons

tem ſacrum Dei miniſter, cui offertur baptizandus, qui ab ipſo recipitur & baptizatur, in nomen uel in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Nam utrunq; eſt inuenire, in nomen & in nomine Domini. Nam apud Matth. in cap. 28. dicit Dominus, &c. βαπτίζοντες αὐτοὺς εἰς τὸ ὄνομα, baptizantes ipſos in nomen Patris, &c. Act. 2. dicit Petrus, & baptizetur unuſquiſq; ueſtrum ἐπὶ τῷ ὀνόματι in nomen ſiue nomine Ieſu. Ita Act. 10. idem dicit ἐν τῷ ὀνόματι κυρίου in nomine Domini. Rurſus autem in Act. cap. 19. legimus. Et baptizati ſunt εἰς τὸ ὄνομα Ἰησοῦ, in nomen Ieſu. Paulus item. 1. Cor. 1. An inquit, εἰς τὸ ὄνομα, in nomen Pauli baptizati eſtis. Itaq; utrunque etiam inuenias apud Eccleſiaſticos ſcriptores, & in nomen & in nomine. Porrò baptizari in nomen Domini, eſt in uirtutem & potentiam (ſignificat enim nomen Dei potentiam Dei) in gratiam, miſericordiam, auxilium & communionem Dei conſignari, imò inſeri, & Deo uelut agglutinari, dedicari, & incorporari iuxta ſacramenti rationē. Baptizari in nomine Domini eſt iuſſione aut imperio Dei baptizari, ex commiſſione in quam

In nomen uel in nomine patris & filij & Spiritus ſancti baptizari quid ſit.

quã Dei Patris & Filij & Spiritus ſancti, recipi in conſortiũ filiorũ Dei, adeoq; & accẽſeri familiæ Dei, ut baptizati ſint & dicãtur Chriſtiani filij Dei patris, &c. Refert ergo locutio illius nonnihil, quod alibi legimus nomẽ Dei inuocari ſuper aliquo: quod perinde eſt ac ſi dicamus, aliquẽ nomine Dei uocari, id eſt, ſeruũ & filiũ Dei appellari. Ergo qui antea per gratiã inuiſibiliter à Deo recepti ſunt in conſortium Dei: illi iidem uiſibiliter iam per baptiſmum eidem Dei familiæ inſcribuntur à miniſtro Dei: atq; ideo & nomen ſimul accipiunt, ut ſemper meminerint ſe Chriſto nomen in baptiſmo dediſſe, uiciſſim & accepiſſe. Ad hunc modũ refert per analogiã accommodatiſſimã ipſum ſignũ rẽ ſignificatã. Fit deniq; baptiſmus per aquã. Aqua uerò in rebus humanis duplicẽ habet uſum. Purgat enim ſordes, hominẽq; ueluti renouat: ſed & potat & refrigerat æſtuãtẽ. Sic aũt repræſentat gratiã Dei, qui fideles ſuos emũdat à peccatis, regenerat & refrigerat ſpiritu ſuo. Porrò aſpergit aut effundit potius aquã miniſter Chriſti, aut innumeros extrahit in aquis: qua re ſignificatur deũ liberaliter dona ſua effundere in fideles

Nomen dare & accipere in baptiſmo.

ſuos: ſignificatur denique nos cum Chriſto ſepeliri in mortem eius, & cum eodem reſurgere in nouitate uitæ. Suffocat ſimus Erythræi maris Pharaonem, tranſmittit autem populum Dei. Nam uetus Adam ſubmergi ac extingui, nouus de die in diem reuiuiſcere & emergere debet. Pulchrè ergo repræſentatur baptiſmo mortificatio & uiuificatio Chriſtianorum. Iam in Cœna Domini panis & uinum repræſentat ipſum corpus & ſanguinem Chriſti. Ratio huius hæc eſt: Vt panis alit & roborat hominem, uiresq; ſufficit ad laborandum: ſic Chriſti corpus per fidem manducatum cibat & ſatiat animam hominis, totumq; hominem ad omnia pietatis officia inſtruit. Vt uinum porat ſitientes & lætificat corda hominum, ſic ſanguis Domini Ieſu haustus fide reſtinguit ſitim æſtuantis conſcientiæ, & gaudio ineffabili perfundit corda fidelium. Frangitur uerò in actione Cœnæ panis Domini, funditur uinũ. Confractum enim, id eſt, modis omnibus afflictum eſt corpus ſaluatoris noſtri, cruorq; largiſſimus per hiantia erupit & manantia uulnera. Ac nos ipſi quidem panem Domini propriis frangimus manibus. Nos enim ipſi

De analogia in negotio Cœnæ.

in cul-

in culpa sumus quòd ille attritus est. Peccata nostra vulnerauerũt eum, & nos ipsi eum crucifiximus eũ. id est. ille propter nos, ut morte sua nos à morte liberaret, crucifixus est. Præterea accipimus in manus nostras panẽ, similiter & poculum: eo quòd ille dixit, accipite, edite. Acipite, & diuidite inter uos: nec reponimus aut recõdimus illa, neq; aliis modo porrigimus, sed accepta edimus & bibimus in nostra traïcientes corpora, deinde uerò & aliis cõmunicantes offerimus. Qui enim legitimè Cœnam Domini celebrant, non tantum credunt Christum passum esse, aut pro aliis non pro se passum esse: sed credunt illum pro ipsis esse passum, credunt Christum omnia bona sua ipsis liberalißimè communicare adeoq; & communicasse. Ergo sicut alimentum panis & uini traiectum in uiscera, mutatur in humani corporis substantiam: ita Christus fide haustus à sanctis, iis spiritu suo unitur, ut unum sint cum Christo, & hic unus cum illis. Et ut cibus splendidè apparatus & conspectus dum tantat in mensa, non satiat: ita si magnificè audius tibi prædicari Christum, non autem credis, tuum esse Christũ cum omnibus bonis, nihil

prodest quantumuis pulcbrè instructa oratio aut mensa. Facit et ad amicitiam concilio andam, reparandã & conseruandam, quòd de uno pane participamus: quòd panem offerimus fratribus, quodq; de manu fratrum poculum accipientes, bibimus. Non enim aliam ob causam uidentur ueteres Cœnã appellasse Synaxin. Verum ea de re dicemus nonnihil & sequenti capite. Ista uerò exempli gratia de analogia signi & signati attuli, plura dicturus, nisi hæc diligentibus satis esse considerem. Occasionem enim plura atq; maiora cogitandi inueniendiq; suppeditaturi.

Synaxis.

Quomodo sacramenta fidem excitent.

Ex hac autẽ perfunctoria analogiæ tractatione perspicuum esse arbitror: quomodo sacramenta excitent & adiuuant fidem sanctorum. Nam dum animus Dei beneficia, Christi, benedictionem, redemptionem, & dona animo comprehendit & uoluit: dum iis magna cum uoluptate spiritus fruitur: dum in his gestit & exultat: accedunt foris iam & sacramenta, quæ oculis adeoq; omnibus incurrentia sensibus, uisibiliter ea repræsentant, quæ animus interne comprehendit, agitat, & uoluit. Quoniam enim tota actio

quæ

quæ uerbis & ritu constat, signo accensetur: uident oculi symbola, & omnia quæ in transactione symbolorum geruntur, quæ quasi loquuntur omnia. Audiunt aures uerba & instituta Christi. Tactus & gustus sentiunt & ipsi, quam suauis & bonus sit Dominus. ut iam totus homo uelut corpore & anima, in cœlum raptus, fidem ualde excitari iuuariq;, fructum denique ex fide in CHRISTVM suauissimum sentiat atq; percipiat. Non dissimilis est energia & in prædicatione uerbi Dominici. Cum enim hoc adhibitis parabolis, paradigmatis, aut per hypotiposin proponitur auditoribus: iam ipsi sibi res expositas non audire modo, sed & coràm cernere uidentur. Quaratione arbitror Paulum dixisse. O stulti Galatæ, quis uos fascinauit, ut non crederetis ueritati? Quibus præ oculis IESVS CHRISTVS ante fuit depictus, inter uos crucifixus. Nullibi enim uel pictum uel crucifixum constat CHRISTVM apud Galatas. loquitur ergo de euidentia sermonis, qua res dicuntur quidem, sed energia etiam oculis quodammodo subiiciuntur. Energia in prædicatione uerbi Dei

Eadem

Eadem est ratio & in sacramentis, quæ eo nomine à priscis appellata fuêre uerba uisibilia.

Zuĩglius de sacramentis fidem fulciẽtibus.

De his adhũc modũ disseruit Zuinglius in libello ad Principes Germaniæ contra Eccium: Nónne cupit fidelis, ubi fidem labi senserit, fulciri & in locum restitui? Id autem ubi gentium commodius quàm in ipsa sacramentorum actione inuenturum sperare poterit quantũ ad omnia sensibilia attinet. Esto enim omnes creaturæ inuitent nos ad contemplationẽ numinis: at omnis ea inuitatio muta est: in sacramentis uero uiua & loquens inuitatio est. Loquitur enim Dominus, loquuntur & elementa: atq; idem loquũtur & suadent sensibus, quod menti sermo & spiritus. Adhuc tamen hæc uisibilia omnia nihil sunt: nisi Spiritus sanctificatio præcedat. Hæc copiosius tradit, primum in Annotationibus suis ad. 27. cap. Ieremiæ: deinde in expositione fidei ad Regem Christianum.

CAPVT

## CAP. DECIMVMQ. VARTVM.

Sacramenta colligere membra Christi in unius corporis compagem siue cõmunionem: eaq; sui admonere officij, &c.

RÆTEREA legimus S. Augustinũ contra Manichæos disputantem lib. cõtra Faustum. 19. ca. 11. dixisse: In nullũ nomẽ religionis seu uerum seu falsum homines coagulari possunt, nisi aliquo signaculorum uel sacramentorum uisibilium consortio colligẽtur: &c. Hanc Augustini sententiam ex scripturis petitam agnoscentes, de sacramentis docemus: his nos colligi ac colligari in unitatem corporis Christi, segregrariq; ab omnibus aliis religionibus, cõsortiis & societatibus. adde illsdem nos coniureiurando obstringi in unius Dei cultum, uerum inquam unã religionem sym̃ceram, inquam, nos consentire cum omnibus qui communicant sacramentis palàm profitemur. Vbi illud maximè obser-

uãdum

Coniunctio cum Christo & cum Ecclesia.

uandum uenit: collectionem aut colligationem in unitatem corporis Christi, duplicem habere respectum. Vel enim cum Christo coniungimur, ut is in nobis sit, nos in ipso uiuamus. Vel copulamur cum omnibus Christi membris, nempè cum fidelibus Christi, cum ipsa inquam catholica Ecclesia. Porrò Christo connectimur spiritu & fide. Ecclesiæ uerò aut membris Christi coniungimur per fidei spiritusq; unitatem, & uinculum charitatis. Quæ quidem omnia, interna spiritus dona sunt: quæ gratuito nobis per solum cõferuntur Dominum, non per ullas creaturas, non per ulla elementa. Sacramenta itaq; inserunt nos uisibiliter consortio Christi & sanctorum eius, cui inuisibiliter quidẽ per ipsius gratiam inserti fueramus, priusquàm sacramentis participaremus. participatione autem nunc aperimus & manifestamus, cuius corporis mẽbra simus atq; esse uelimus: dum signis aut notis suis per ministrum nos uisibiliter quoque pro sua familia, proq; suo populo signamus. Id quod scripturis iam plenius illustrabimus.

Sacramẽtis uisibilibus

Qui olim ex ui fœderis, ex gratia, misericordia, & promissione Dei populus erat: circumcis

eumcisione uisibiliter colligebatur in unam Ecclesiam, & unius corporis compagem. Apostolus enim Paulus ad Ephesios: Mementote, inquit, quod uos quondam gentes in carne uocabamini præputium, ab ea quæ uocatur circumcisio in carne, quæ circumcisio manibus fit: quòd inquam eratis in tempore illo sine CHRISTO, abalienati à Republica Israëlis, & extranei à Testamentis promissionis, &c. Ex quibus quoq; facilè intelligitur quomodo circumcisione segregati sint ab aliis religionibus & societatibus Iudæi: quodq; circumcisio alibi hanc ob causam ponitur pro ipsis circumcisis: & cur incircumcisi uocabulũ probro datum sit. Habebantur enim incircumcisi pro impiis impurisq; hominibus: quibus nullum erat consortium, nulla pars aut hæreditas cum Deo, & sanctis eius.

liter colligimur in unam Ecclesiam
Phi. 3.
Rom. 15.

De baptismo qui in locum circumcisionis substitutus est, dicta sunt quædã in præcedenti capite. Sed & Apostolus significantissimè. Quemadmodũ, inquit, corpus unum est, & mẽbra habet multa, omnia uerò mẽbra corporis unius, multa cum sint, unũ sunt corpus: sic & CHRISTVS. Etenim per

1. Cor. 12

unum

unum ſpiritum nos omnes in unum corpus baptizati ſumus, ſiue Iudæi, ſiue Græci, ſiue ſerui, ſiue liberi, & omnes unum ſpiritum hauſimus. Obſtringimur ergo baptiſmi ſacramento in unitatem corporis Chriſti. ita ut hoc rupiſſe uinculum & in aliud conceſſiſſe conſortium religionis & ſocietatis, ſacrilegium atque proditio ritè uocetur.

1. Cor. 2. Huc reſpexiſſe uidetur Apoſtolus, cum interrogaret Corinthios: An non in Chriſti nomẽ baptizati eſtis? Innuens utiq; baptizatos in nomẽ Chriſti, palàm iuraſſe, fidẽq; ſuam coràm Chriſti Eccleſia obſtrinxiſſe: ut iam nec poſſint nec debeant de ullo alio quàm Chriſti nomine gloriari, in cuius familiam recepti ſint per baptiſmum. Sic inquam baptiſmo ſeparamur ab omnibus aliis religionibus, Chriſtianæq; duntaxat conſeceramur.

Exponitur locus Pauli. 1. Cor. 10. Panisquẽ frãgimus

Similis per omnia locus eſt de Cœna Dominj apud eundem in. 1. ad Corint. cap. 10. Cum enim Apoſtolus Corinthiis demonſtrare uellet, ab omni pietate alienum, indignum & ſacrilegum eſſe, Chriſtianos in idolorum templis ad idolothyta accumbere: ſacriſq; Gentiliciis cõmunicare: à ratione & natura

ſacramens

sacramenti Cœnæ Dominicæ argumentans: Fugite, inquit, à simulachorum cultu, Vt prudentibus loquor, iudicate uos, quod dico. Poculum benedictionis quo benedicimus, nónne communio sanguinis Christi est? Panis quem frangimus, nónne communio corporis Christi est? Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus. Nam omnes ex eodem pane participamus. Videte Israelem iuxta carnem. Nonne qui edunt uictimas, cõsortes altaris sunt? Quid ergo dico, quod simulachrum aliquid sit? Aut quod immolatum simulachris aliquid sit? Illud potius dico: quòd quæ immolãt Gentes, dæmoniis immolant & non Deo. Nolim autem uos consortes dæmoniorum esse. Non potestis poculum Domini bibere: & poculum dæmoniorum. Non potestis mensæ Domini participes esse: & mensæ dæmoniorum. Et cætera. Hæc enim omnia Pauli sunt, quæ cum instituto nostro mirificè conueniant, perstringam obiter. Principio statum & scopum rei ponit: ad quem mox omnia sua dirigit. Fugito, inquit, simulachorum cultum. Intellexit aũt idololatriæ uocabulo quicquid pertinet ad idololatriam, idolothytorum usum

maxime. Si autem nescis quid sit idolothytum, scias uocem esse Græcam, qua Paulus in hac causa utitur, ac significare idolo sacrificatũ, aut sacrificio idolo publicè consecratum. Fuit autem in usu Corinthiis sacrificare ad aras Deorum suorum, in idoliis, id est, idolorum templis, & ad sacrificia illa sua uocare Christianos. hij uerò accedentes accũsebant ad idolothyta, promiscue edentes cũ idololatris: existimantes id citra omnẽ culpam iurẽ fieri posse, quòd Euangelica luce clareret confutsanta, neq; idolũ neq; ipsum Deum, quẽ repræsentabat idolũ, & id circo neq; idolothyta quicquam esse aliud, quàm nomina inania, res uanas & nihili. At contra hos Paulus ab. 8. cap. usq; ad. 11. disputans, docet à Christianis esse alienissimum sacris cõmunicare prophanis. ac dicit: Loquor uobiscum ut cum prudentibus, qui uestigiis aliquot cõmonstratis, ipsi uestri ingenij perspicatia, quid uerum, quid falsum, quoque uobis inclinandum sit, intelligetis. Deinde semina quædam argumentorum spargit, quæ illi mox sua excutientes industria, excolant. Qui, inquit, Cœna Domini (in qua panis Domini frangitur, poculumq; Domini

Mos sacrificãdi Corinthiorũ

mini hauritur) participant, eiusdē sunt communionis, cœtus aut corporis cum Domino. Nam κοινωνία, quo uerbo hic utitur Paulus, & quod uerterunt interpretes communio uel communicatio (quanquam melius sit communio quàm communicatio: sicuti & in Germanica uersiõe melius est gmeind quàm gmeinschaft) non actiuè, ut sic dicam, pro distributione, exhibitione, aut porrectione corporis Christi per ministrum: sed paßiuè, pro consortio & societate, pro corpore in quam Ecclesiastico accipitur. uelut cum Ecclesia appellatur communio, id est, cœtus, collectio & societas sanctorum. Porro hæc appellatur κοινωνία siue communio corporis & sanguinis Christi, quia Christi corpore & sanguine redempta est. Quod autem participantes Cœna Domini sint corpus aut communio Christi, per subiectam rationem declarans dicit: Quia unus panis, unum corpus multi sumus. Cui mox & aliam rationē expositionis causa illustriorem subpingit. Nam omnes ex eodem pane participamus. De uno, inquit, pane participantes, palàm testamur nos eiusdem corporis esse consortes cum CHRISTO & omnibus sanctis.

κοινωνία

Quibus pulchrè ad analogiam respexit. Vt enim ex multorum granorũ adunatione (ut Cyprianus ait) unus fit panis: ut de botris siue acinis multis uinum confluit: ita ex multis membris coalescit corpus Ecclesiæ, quod est corpus Christi. Veniunt aũt in his Pauli uerbis hæc obseruãda. Principio quòd nunc multitudinem significantiore uocabulo nuncupat, quod prius communionẽ appellauit. Est enim communio nihil aliud, quàm multitudo siue cœtus. Dixit enim: Panis est communio corporis Christi. Iam uerò dicit: Nos multi sumus unum corpus, unus panis. Multi inquam, id est, nos omnes qui sumus multitudo & Ecclesia, Christi corpore tradito, & fuso sanguine, redempta. Deinde, multi inquit unum corpus sumus: non dicit, unum corpus efficimur. Nam non primum per sacramentorum participationẽ inserimur corpori Christi: sed qui inserti eramus per gratiam inuisibiliter, nunc etiam uisibiliter cõsecramur. Rursus ex simili sacramentorum ratione, siue per exemplum scripturæ à sacramentis populi ueteris petitum demonstrat sacris participantes unum esse corpus & cum eo cui offerunt, & cum iis quibus

cum

cum offerũt, aut cum quibus de idolothytis edunt. Contemplamini mihi, ait, Israëlitas, carnales adhuc uictimas offerentes. Nónne qui edunt uictimas κοινωνοι, id est, communicatores socij siue consortes sunt sacrarij aut aræ (θυσιαστηριον habet) quicquid ad cultum & religionem Dei Iudæorum pertinet, ut sit sensus: An non omnes illi unũ corpus sunt, una communio, unus populus, & cum Deo Israëlis, & cum populo eius, qui edunt de uictimis Deo Israëlis à populo Israëlitico immolatis? Quasi dicat, nemo est, qui id nesciat, aut neget, cum confessum & manifestum sit apud omnes. Ex his sua sponte colligendum relinquit Corinthiis. Proinde qui sacramentis communicant Ethnicorum, unum corpus & una communio sunt cum diis Ethnicorum & Ethnicis sacrificãtibus. Iam per occasionem interponit. Propterea autem non dico, quòd idolum aliquid ualeat: aut idolothytum diuinæ maiestatis aliquid habeat. Quibus mox addit: Hoc autem sentio, quòd quæ Gentiles sacrificant: non Deo, sed diabolo sacrificant. His intulisset legitime: Ergo si uos perrexeritis participare de idolothytis, eritis certè unum sunt pars diaboli

ticipãtes corpus & una communio, & cum ipso diabolo & cum omnibus membris eius. Sed quia legitimis sacris illegitimis hoc à multis acerbius fuisset acceptum, reponit aliud paulò lenius & ciuilius, ac dicit: Nolim autem uos κοινωνοὺς, id est, communicatores seu socios & consortes esse dæmoniorum. Post quæ mox collatis partibus cõtrariis summam rei infert, ad quam omnia direxit, & ait: Non potestis poculũ Domini bibere & poculum dæmoniorum. Non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ dæmoniorum. Sacramenta itaq; separant nos ab omnibus aliis cultibus & religionibus: & obstringunt atq; consecrant, adeoq; & incorporant nos uni Deo uero & synceræ religioni Christianæ. Quoniam iis participantes palàm profitemur nos esse mẽbra Christi, quæ nemo sanus tollit & facit formicationis & idololatriæ membra. Huc pertinet quòd Zuinglius in Expositi. fidei Christianæ ad Regem Christianum. Sacramenta, inquit, uice iurisiurandi sunt. Nam & sacramentum Latinis pro iureiurãdo usurpatur. Qui enim unis eisdemq; sacramentis utuntur, una quædam gens & sancta coniuratio sunt, in unum corpus inq; unum populum coẽunt

Zuinglius de sacramẽtis obstringentibus.

coëunt, quem qui prodit, periurus est. Populus ergo Christi cum eius corpus sacramentaliter edendo in unum corpus coniungitur: iam qui perfidus est, attamen huic societati sese audet insinuare, corpus Christi prodit tam in capite quàm in membris, &c. Hæc ille.

Ex his uerò omnibus nullo negotio intelligere licet, quomodo sacramenta nos nostri admoneant officij: maximè si obseruemus in sui admonent officij. Apostolorum literis, quomodo ex ratione sacramentorum suas hortationes instituerint Apostoli. Vbi denuo analogia consyderata, plurimum habet & lucis & uirium. Nos in transcursu quædã huius generis attingemus. Putantur arbores, resecãturq; ex ipsis arida, sterilia & superuacanea: itaq; circumcisione admonebãtur circumcisi, omnia ea cultro spiritus resecare, quæ ex carne contra legem Dei enascuntur. Huc respexit Moses, cũ in Deut. dixit: Circumcidite præputium cordis uestri, & ceruicem uestram ne amplius induretis. Quem imitatus Ieremias in. 4. capite. Circumcidimini Domino, & auferte præputia cordis uestri, &c. Quæ uerò de paschate celebrando tradidit 1. Cor. 5. Deut. 10

Apostolus, plánora sunt, quàm ut hic referri debeant. Idem in Epistola ad Romanos, an ignoratis, inquit, quod quicunq; baptizati sumus in Iesum Christum, in mortem eius baptizati sumus? Sepulti ergo sumus unà cum illo per baptismum in mortem, ut quemadmodum excitatus est Christus ex mortuis per gloriã patris, ita & nos in nouitate uitæ ambulemus. Et cætera. Admonemur ergo baptismi mysterio, ut renunciemus Sathanæ & mundo, ut mortificemus carnem nostrã, sepeliamusq; ueterem Adamum, quo nouus in nobis homo per Christum resurgat. Porrò Cœna admonet nos charitatis fraternæ & unitatis cum omnibus membris Christi. admonet nos puritatis & syncerităt is in fide: ut quoniam palàm professi sumus nos cũ Christo & omnibus membris eius aduñatos esse, diligentißimè etiam curemus ne perfidi simus in Dominum Christum & Ecclesiã eius, ne nos peregrinis cõtaminemus sacris. admonemur etiã gratitudinis: ut laudemus gratiam eius, qui nos redemit, iuxta illud:

Rom. 6.

1. Cor. 11. Quotiescunq; de pane illo ederitis, & de poculo hoc biberitis, mortem Domini annunciatis donec uenerit.

Atque

Atq; hactenus disserui de uirtute, fine & effectu sacramentorum: quibus tantum, opinor, tribui, quantum debui, id est, quantum ex scripturis demõstrari potest. Institutа sunt Christi, non ergo amant laudes fusas & alienas. satis laudum habent: si eas habẽt, quas ipsis institutor eorum Deus & summus Ecclesiæ Catholicæ pontifex Christus tribuit.

## CAP. DECIMVMQ. VINTVM.

### Sacramenta sine fide sumentibus non prodesse: rursus fide illa percipientibus non esse superuacanea.

QVONIAM uerò fidei toto hoc libro creberrima facta est mentio: paucis ostendam porrò, sine fide non prodesse sacramẽta. rursus fide illa percipiẽtibus, nõ esse superuacanea. Hoc enim uidetur adhuc ad plenã sacramentorum explicationem consyderationemq; pertinere. Sine fide non prodesse sacramenta, facile est ostendere. Dictum est enim sacramenta esse appendices & sigilla Euangelicæ prædi-

Sine fide nõ prodesse sacramenta.

cationis. Cæterum si prædicatio Euangelica audiatur citra fidem: nõ modo nihil prodest ad uitam, sed credit magis ad iudicium, ipso Domino attestante atq; dicente: Si quis audierit uerba mea, & non crediderit, ego nõ
Ioan.12. iudico eum. Veni enim ut seruem, non iudicem mundum. Sermo quem locutus sum uobis, ille iudicabit eum in extremo die. Sermo
Heb.4. ni Dominico quadrat hic Apostolicus: Annunciatum est uobis Euangelium quemadmodum & patribus. At non profuit illis audisse sermonem, quòd is non esset fide coniunctus iis, qui audierant. Quis iam usque adeo stupidus sit, ut non colligat sacramenta sine fide inutilia esse, præsertim cum idẽ Apostolus dicat: Quisquis comederit panẽ hunc, aut biberit poculum Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini. Omnis autem dignitas nostra coràm Deo fide constat, eodem Apostolo rursus ex Pros
Rom.1. pheta dicente: Iustus fide sua uiuet. Item:
Heb.11. Patres fide meruerunt testimonium. Quò & illud pertinet quod in Euangelio legis
Mat.22. tur: Qui inuitati fuerant, non erant digni: unde consequens est dignitatem fideli constare obedientia. Huc referenda puto exem

pla,

pla, quorum etiam superius non semel facta mentio est. Patres nostri omnes baptizati sunt, & omnes eandem ederunt escam spiritualem: sed quidam ipsorum displicuerunt Deo. At Paulus iterum: Sine fide, inquit, impossibile est placere Deo: unde sine fide nihil proficiunt sacramenta. Notissima sunt Simonis Magi & Iudæ proditoris exempla: quorum ille tinctus, hic Cœnæ adhibitus, fructu caruerunt omni: quoniam fidem ueram non habuerunt. Heb. 11.

His diuinis & luculentis testimoniis adiungemus iam aliquot S. Augustini locos. Is contra Faustum lib. 19. cap. 12. Petrus, ait: Baptismus nos saluos facit, & ne sibi sufficere putarent uisibile sacramentum, per quod habebant formam pietatis, & per malos mores perdite uiuendo uirtutem eius abnegarent. Continuo subiecit: Non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio. Item contra literas Petiliani lib. 2. cap. 7. Non ideo ait, putandi sunt esse in Christi corpore, quod est Ecclesia, quia sacramentorum eius corporaliter participes fiunt. Illa enim & in talibus sancta sunt, & eis indignè tractantibus, & sumentibus Augusti. docet sacramenta sine fide sumentibus esse inutilia.

tibus ad maius iudicium ualebunt. Ipsi autē non sunt in illa Ecclesiæ Christi compage, quæ in membris Christi per connexum & contactum crescit in incrementum Dei. Illa quippè Ecclesia in petra est: sicut Dominus dicit, super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. illi autem in arena ædificant: Sicut idem dicit Dominus: Qui audit uerba mea, & non facit ea, simulabo eum uiro stulto. Et rursus Tract. in Ioan. 53. Non aliquid prosunt syllabæ nominis Christi & sacramenta Christi: ubi resistitur fidei Christi. Fides autem Christi & sacramenta, est credere in eum qui iustificat impium: credere in mediatorem, sine quo interposito non reconciliamur Deo. Hæc August.

Sacramēta nō pendent à nostra dignitate uel indignitate.

Obiicitur, si sacramenta sine fide nostra non prosunt: pendent ergo à nostra dignitate uel indignitate Christi sacramenta, ut integra non sint inter malos & infideles.

Respondeo: Per se quidem sacramenta ex institutione diuina satis rata & firma sunt: nec pendet ipsorum integritas ex conditione communicantium, ut uel meliora sint inter bonos, deteriora inter malos. Manet enim firmum & integrū, quod instituit Dominus

minus: retinetq; institutionem suam bonam semper, utcunq; uarient & perduelles sint homines. Nam Apostolus: Num, inquit, incredulitas illorum Dei fidem faciet irritam? Absit. Imò sit Deus uerax, omnis autem homo mendax. Verum attigimus hoc negotij nonnihil & in superioribus. Quia tamen aliud est offerre, aliud accipere, offert quidem Deus ex bonitate sua dona sua hominibus in hoc, ut prosint ipsis, & seruet eos. quemadmodum & medicus ægroto offert medicinam, ut sanet. quoniam uerò ineptus ac uæsanus beneficium non agnoscit, & ægrotus medicinam oblatã respuit: nihil prodest oblatum beneficium inepto, neq; ualet quicquam medicina repellenti. non culpa offerentis beneficij aut medicinæ: sed repellentis uitio. Ad hunc modum disputauit hac de re & S. August. Nam de baptismo cõtra Donatistas li. 3. ca. 14. Nec interest cum de sacramenti integritate & sanctitate tractatur, quid credat & quali fide imbutus sit ille, qui accipit sacramentum: interest quidẽ plurimum ad salutis uiam, sed ad sacramenti quæstionem nihil interest. Item contra literas Petiliani li. 2. ca. 47. Memento, inquit, Rom. 3.

sacramẽ-

*ſacramentis* Dei *nihil obeſſe hominum malorum mores, quo illa uel omnino non ſint, uel minus ſancta ſint: ſed ipſis malis hominibus, ut hæc habeant ad teſtimonium damnationis non ad adiutorium ſanitatis.* Ideo Tract. in 1oan. 26. *Si carnaliter accipis, ait, ſpirituale eſſe non deſinit: ſed tibi non eſt.*

De baptiſmo infantium fide propria carentiũ.

*Eadẽ facilitate diluitur quod obũcitur, infantibus non profuturũ baptiſmum ſi pertexerimus aſſerere ſine fide non prodeſſe ſacramenta, cum manifeſtũ ſit, infantes non habere fidem. Diximus enim ſuperius baptiſmum infantium gratuitæ miſericordiæ, & gratiæ* Dei *inniti, dicentis:* Ego ero Deus *tuus & ſeminis tui.* Item: *Paruulos ſinite ad me uenire, talium eſt enim regnũ* Dei, *&c.*

*Numerantur ergo conſenturq; infantes ab ipſo Domino inter fideles, ut his iam baptiſmus debeatur quatenus debetur fidelibus. Imputatione enim* Dei *fideles ſunt infantes. His accedit & illud, quod pater infantuli ideo cupit ſigno populi* Dei, *baptiſmo, fœtum ſuum inſigniri: quia credit promiſſionibus* Dei, *infantulum uidelicet ſuum eſſe de familia* Dei. *eſt itaq; in infantium baptiſmo fides. Atqui non credit pater. Eſto. Ne-*

*que*

que uerò id fraudi est infantulo. Nam infide Ecclesiæ affertur ad baptismum. Credit autem Ecclesia infantes adducendos esse ad Dominum: credit istos esse de familia & populo Dei: ergo initiari mysteriis iubet, ut rursus in baptismo paruulorum inueniat fidem. His addit S. August. de peccatorum meritis & remissione lib. 1. cap. 19. dicens: Propterea fideles rectè dicuntur pueri quoniam fidem per uerba gestantium quodam modo profitentur. Plura is eadem de re disputat in Epistola ad Bonifacium, quæ ordine est. 23. à quo qui plura cupit, petat. Cæterum hæc omnia inquiunt, non euincunt, infantes habere fidem propriam. Nam aliena fides est fides parentum, gestantium aut fides Ecclesiæ. Esto. Certissimum tamen illud est, quod Dominus infantulos inter suos, hoc est, inter fideles numerat, ut iam non tantum in aliena fide baptizentur, sed in propria, quam uidelicet ipsis imputat Dominus. Præterea alienum non est, quod eidem corpori commune est. At sunt in eodem corpore Ecclesiastico infantes, unde ipsis proprium nõ alienum est, quod Ecclesiæ est. Neque uerò quisquam hominum

facile

facilè dixerit, quos habeãt motus infantuli. Quia enim Dei sunt, Spiritum Dei habent: quem qui non habent, Dei non sunt. Ro.8.

Sacramẽta fidem habentibus non esse superuacanea.

Vt autem in sinistram nimium declinãt, quibus uisum est, Sacramẽta etiam sine fide prodesse sumentibus, ita in dextram nimium recedunt, qui putant, eadem fidem habentibus esse superuacanea. Fides, inquiunt, plenè absoluit nos, ut post illam nihil poßint addere sacramenta: id circo necesse est ipsa esse inutilia. Tales quondam fuisse leguntur Messaliani, qui & Euchitæ & ἐνθουσιασταὶ appellantur, diuini (si diis placet) & afflati numine. Contendebant enim fidelibus post Spiritum sanctum acceptum, nullis opus esse sacramentis. Cæterum sunt isti in Deum ipsum iniurij: qui uidelicet sacramẽta instituit fidelibus, non sine magna causa, nec inutiliter. Et Abraham quidem credidit Deo, id quod ipsi imputatum est pro iustitia: amicusq; Dei iustus & sanctus, non utique sine Spiritu sancto habitus est. at idem ille circumcisionem accepit signaculum iustitiæ fidei, quæ fuerat in præputio. Quid quòd Angelus Domini cædem intentans imminet Mosi, quòd circumcisionem iustius

Exod.4.

æquo,

æquo, uel ſua negligentia, uel Madianiticæ uxoris culpa, in liberis ſuis detuliſſet? An uero quiſquã iuſtior & ſanctior inuenietur Dei filio? utpote qui plenitudine Spiritus accepta, ut caput, de illa in ſua membra diffundit liberaliſſimè? attamen hic uenit ad Baptiſtam, ac poſtulat ab eo baptizari in Iordane. cumq; is tergiuerſaretur ac diceret, mihi opus eſt abs te baptizari, & ego te baptizarẽ? audit: Sine modo, ſic oportet nos omnem implere iuſtitiam. Iuſtitia certè ſuum cuiq; tribuit. Fides ergo quæ Chriſtianorum iuſtitia eſt, tradit gloriam Deo: creditq; hunc ſumme ſapientem bene uelle hominibus, atq; ideò nihil inutiliter inſtituiſſe, ſed omnia in ſalutem ſuorum fidelium. utitur ergo omnibus Dei inſtitutis homo fidelis abſq; diſputatione & contradictione. Nec quiſquam hic, opinor, dixerit, nihil ad ſe pertinere factum Chriſti, quo utiq; nobis exemplum prætulit, quod imitaremur. Imò quod ipſe fecit, alios quoq; facere iußit dum diſcipulos amandaret & diceret: Ite in orbem uniuerſum, & prædicate Euangelium omni creaturæ, baptizantes eos in nomine patris, &c. Qui enim crediderit & baptiMat. 3.

zatus fuerit, saluus erit: cõiungens utiq; & fidem & baptismum, quod hauddubie non feciſſet ſi ſacramenta ſuperuacanea eſſent, ubi fides eſt.

Sacramẽta nõ ſunt indifferentia.

Vbi manifestè claret & illos errare toto cœlo, qui arbitrantur ſacramenta eſſe indifferentia, hoc eſt, in noſtro conſtitutũ arbitrio, ſiue illis utamur, ſiue nõ utamur. Nã ut de baptiſmo iam apertum præceptũ audiuimus: ita Cœnã inſtituens & celebrans Dominus ait, hoc facite in mei cõmemorationẽ. Qui ergo hæc Dei præcepta contemnit: non uideo quomodo fidẽ habeat, qua uiſibiliter ſanctificari poſſit. Huc iam pertinet quod fidelis ille Princeps Æthyopicus confitetur, ſe toto corde credere in Dominum Ieſum: nihilominus tamen uiſa aqua, ait, ecce aqua, quid uetat, quò minus baptizer? Non dicit, credo toto corde, & ſentio me iuſtificatum eſſe atq; purgatum: quorſum ergo aqua abluerer, qui nihil habeo ſordium reliquum? Proinde ubicunq; uera fides eſt, ibi non contemnuntur aut repelluntur, ſed petuntur magis ſacramenta. Nam & Cornelius Centurio accepto Spiritu ſancto non cõtradicit Petro dicẽti: Quis iã prohibere poteſt quò

minus

minus baptizentur aqua hij, qui perinde ut nos ſpiritū acceperunt. Fidelis erat Euangelij præco Petrus, peritus ueritatis doctor: nemimem ergo fallit. & ſuo nos facto docet, fidem tum maximè ad communionem ſacramentorū incitare, cum uera eſt in fidelibus. Cui conſentiens collega Paulus: Probet ſeipſum homo, inquit, & deinde edat de pane & bibat de poculo hoc. At probatio illa fide fit: fides ergo ſacramenta non reſpuit, ſed perfidia.

Sine uiſibilibus ſacramētis multi.

Scio ſanè plurimos citra uſum uiſibilium ſacramentorum ſanctificatos eſſe, & hodie quoq; ſanctificari: ſed nullus illorum ſprecuit aut contemnit illa, neceſſitate adacti ſanctifiis non communicant: ut hodie ſunt, qui cantur ſub tyrannide Antichriſti & Turcæ capti: ui tenentur. interea uero toto corde credunt in Dominum IESVM. Ergo horum aut ſimilia exempla his non patrocinantur, quibus liceret communicare Sacramentis, ſi inſtituta Dei curarent: tantiq; æſtimarent, quanti facerent merito. Aſſcribam hic in lectorum gratiam elegantem ſancti Auguſtini hac de re diſputationem, quod inſtitutum noſtrum pulchrè illuſtret.

Quæst. lib. in Leuit. 3. cap. 84. Merito, ait, quæritur, utrũ etiã inuisibilis sanctificatio, sine uisibilibus sacramentis, quibus uisibiliter homo sanctificatur, nihil prosit? Quod utiq; absurdum est. Tolerabilius enim quisque dixerit, sine illis istam non esse, quàm si fuerit nõ prodesse, cũ in ista sit omnis utilitas illorũ. Sed etiam hoc quod sine illis ista esse non posit, quomodo rectè dicatur, instruendum est. Nihil quippè profuit Simoni Mago uisibilis baptismus, cui sanctificatio inuisibilis defuit, sed quibus ista inuisibilis quoniam affuit, profuit, etiam uisibilia sacramenta perceperunt similiter baptizati. Nec tamen Moses qui uisibiliter sacerdotes sanctificabat, ubi fuerit ipse uisibilibus sacrificiis uel oleo sanctificatus ostenditur, inuisibiliter uerò sanctificatum negare quis audeat, cuius tanta gratia præeminebat. Hoc & de Ioãne Baptista dici potest. Prius enim baptizator quàm baptizatus apparuit. unde etiam sanctificatum nequaquam negare possumus. id tamen in eo factum uisibiliter non inuenimus, antequam ad ministerium baptizandi ueniret. Hoc & de latrone illo, cui secum crucifixo Dominus ait,

*ait, hodie mecum eris in paradyso. Neq; enim sine sanctificatione inuisibili tanta fœlicitate donatus est. Proinde colligitur inuisibilem sanctificationem quibusdam adfuisse, atq; profuisse sine uisibilibus sacramentis: uisibilem uero sanctificationem quæ fieret per uisibilia sacramenta, sine ista inuisibili posse adesse, non posse prodesse. Nec tamen ideo sacramentum uisibile contemnendũ est. Nam contẽptor eius inuisibiliter sanctificari nullo modo potest. Hinc est, quod Cornelius & qui cum eo erant, cum iam inuisibiliter infuso Sancto Spiritu sanctificati apparerent, baptizati sunt tamen: nec superflua iudicata est uisibilis sanctificatio, quam inuisibilis iam præcesserat. Hæc ille. Hic iam locum haberent quæstiones, de salute infantium sine baptismo decedentium, & an Cœna cum ægrotantibus in priuatis ædibus celebranda sit. Verum nos discußionem illarum in alium locum & aliud tempus differemus.*

O 3. CAPVT

## CAPVT DECIMVMSEXTVM

### Sacramenta a dignitate vel indignitate ministrorũ non pendere.

VIC disputationi affinis est & alia quæstio: an uidelicet sacramenta pendeant à dignitate ministrorum, an eorundem indignitate impediantur? Cyprianus non uno loco contendit, eos baptizare non posse, qui carent Spiritu sancto. Quì error inde est, quòd batizandi ministerio numium tribuit. Arbitratur hoc hominem purgari, colligit itaq; hominem impurum purgare non posse: ergo nec baptizare. baptismumq; hominis impuri non esse baptismum, unde iam deriuat anabaptismum. Cæterum si uir sanctus ritè & religiosè distinxisset inter potestatẽ & ministerium: deniq; inter signum & signatum: externam & internam sanctificationem, uidisset haud dubie mera nos Dei gratia sanctificari inuisibiliter. & internam illam sanctificationem externè per ministerium repræsentari & obsignas

*Cyprianus de sacramento baptismi.*

obſignari. ibi intellexiſſet obſignatas literas non minus à malo quàm bono miniſtro proferri poſſe. Dei ſunt ſacramenta, & ad Deum referenda authorem: qui uerax & fidelis eſt in omnibus inſtitutis ſuis, quanquam fallaces ſint homines. Quanquam fur eſſet Iudas, docuit tamen, & baptizauit: cuius doctrina & baptiſmus non minus CHRISTI doctrina & baptiſmus erat, quàm Petri & Andreæ, Iacobi & Ioannis. Ac de integritate quidem cum doctrinæ tum baptiſmi Iudæ miniſterio adminiſtrati, nemo dubitauit unquã: quaſi nec docti nec baptizati fuerint, quos ille docuit & baptizauit, qui ab ipſo Domino non homo diabolicus, ſed ipſe diabolus appellatur. Nam non ſuo ſed CHRISTI nomine baptizauit, non ſuam ſed CHRISTI doctrinam attulit. Denique Dominus ex bonitate ſua propter ueritatem ſuam, non propter Iudam operatus eſt in fidelibus: quam operationem aliena infœlicitas & malitia impedire non potuit, ſicut ne hodie quidem impedit. Conandum quidem nobis omnibus, ut ſancti & innocentes ſint miniſtri, quantum uidelicet noſtra fide & induſtria indagare Ioan. 6.

& efficere possumus, imò gradibus suis deiiciamus, quos deprehenderimus se sua functione indignos gerere. interim uerò nihil dubitemus de sacramenti integritate, quod illi nobis dum in officio fuerunt, administrauerunt: ea ratione uidelicet modoq;, quo Dominus instituit. Ac fideles quidem ut animos suos nõ defigunt in elementa, ita neq; in ministros. Deum authorem omnis boni, & finem institutorum Domini spectant unicè in omnibus.

Tractauit hoc negotium diligenter S. August. non inefficatia argumenta pulchrè his accommodans, cuius uerba ascribam libro contra Donatistas de Baptismo. 3. cap. 10. Non est aqua prophana, inquit, non adultera, super quam nomen Dei inuocatur: etiamsi à prophanis & adulteris inuocetur. quia nec ipsis creatura, nec ipsum nomen adulterum est. Baptismus uero Christi uerbis Euangelicis consecratus, & per adulteros & in adulteris sanctus est, quamuis illi impudici sint & immundi: quia ipsa eius sanctitas pollui non potest, & in sacramento suo diuina uirtus assistit, siue ad salutem bene utentium, siue ad perniciem malè utentium.

*tium. An uero ſolis uel lucernæ etiam lux cum per cœnoſa diffunditur, nihil inde ſordium contrahit, & baptiſmus Chriſti poteſt cuiuſquam ſceleribus inquinari? Si enim ad ipſas res uiſibiles quibus ſacramenta tractãtur, animum conferamus, quis neſciat eas eſſe corruptibiles? Si autem ad id, quod per illas agitur, quis non uideat non poſſe corrumpi, quamuis homines per quos agitur, pro ſuis moribus uel præmia percipiant uel pœnas luant. Et cætera. Poſſem huius generis multa proferre, ſi neceſſaria putarem. Arbitror enim his copioſè & dilucidè ſatis declaratum eſſe integritatem ſacramentorum non æſtimare debere dignitate uel indignitate miniſtrorum, ſed Dei inſtituentis ueritate.*

# EPISTOLA IOANNIS A LASCO ANTE QVINquennium ad amicum quendam scripta. continens in se summam controuersiæ Cœnæ Domini breuiter explicatam.

ETIS *à me ut tibi paucis exponam nostræ hic doctrinæ de re sacramẽtaria summam omnem: simulque & controuersiæ partes præcipuas, quæ inter multos nunc eadem de re agitatur. Ego uero doctrinæ quidem nostræ summam libenter tibi indicabo, ut illius certam à nobis rationem habeas: ad quam alioqui reddendam parati semper atq; expediti esse debemus. Cæterum controuersia de Sacramentis nunc exorta latius patet, quàm ut paucis exponi possit. Et ego alioqui ut illam exortam esse uehementer doleo: ita eam (si uerum fatear) non libenter attingo. nes*

go, nedum ut illius mihi censurã sumere uelim. Qua tamen ea est tua apud me autoritas, ut tibi petenti non facile aliquid negare possim. faciam & hoc, ut tibi & controuersiæ ipsius rationem, & quibus quæq; pars argumentis nitatur quanto possum compendio exponam. tu interim pro tuo insigne amore & breuitatem & infantiã hac in parte nostram boni consules. Quod igitur ad doctrinam primum nostram attinet. Docemus de Sacramentis in genere: Sacramenta esse Christi institutiones, Ecclesiæ suæ in hoc potissimum traditas. Primum ut illarum usu legitimo Ecclesia tota in salutari cum Christo Domino communione per quam sola (dum fide apprehenditur) iusti sumus obsignetur. Deinde ut simul admoneatur etiam, debiti iam sui esse: ut eius ipsius communionis cum Christo imaginem exprimat, in cuius fide obsignatur. Huius doctrinæ fontes ex Paulo Apostolo petimus: qui de circumcisione disserens, illam, & obsignaculum iustitiæ fidei uocat, quæ nostra cum Christo communione constat: & cordis (per eam) circumcisionem (ut illius perpetuo admoneamur) designari docet. Porrò ut est

unus

unus atq; idem ab æterno & in æternū Deus: unum atq; idem salutis nostræ medium, nempè meritū mortis Christi: una item atq; eadem perpetuo illius fides: ita omnia etiā sacramenta & ueteris & nostræ Ecclesiæ, unum atq; idem in uirtute & mysterio sacramentum esse docemus: etiamsi symbolis atq; elementis suis uarient. nisi quòd ueteris Ecclesiæ sacramentis communio cum uenturo adhuc Christo Domino iuxta promissiones: nostræ uero Ecclesiæ sacramentis, cum exhibito iam Christo communio autore Spiritu sancto obsignetur. Sic enim Paulus & ueterem Ecclesiam baptizatum esse, & eandem nobiscum escam edisse, idemq; bibisse poculum docet. Ac nos rursum circumcisos esse, Paschalemq; Cœnam habere disertè testatur. Iuxta hanc igitur doctrinam, & de Baptismo, & de Cœna Domini (posteaquā sunt Sacramenta) docemus. Ac Baptismo obsignari dicimus in Ecclesia Christi, nostram, hoc est fidelium omniū & eorum seminis, cum Deo patre, filio, & Spiritu sancto communionem, ex Christi Domini institutione: dum nos in nomen Patris, Filij, & Spiritus sancti, baptizari iubet. ad quam equidem

quidem cõmunionem cum & infantes nostri pertineãt (est enim Deus, nostri quoq; semi nus Deus) ad obsignandã hanc infantiũ quos que nostrorũ cum Deo cõmunionem in Chri sto, infantes etiam nostros baptizamus. Do cemus item perinde esse, siue nos in Christi dumtaxat, siue in Dei simul, & Patris, & fi lij, & Spiritus sancti nomen, baptizari dica mus, cuius cuim cũ Christo Domino cõmunio in baptismo obsignatur: is & à Patris Dei, ac Spiritus sancti cõmunione excludi haud dubie nõ potest. Præterea docemus Baptis mo, nos per omnem uitã admoneri, ut in quo rum cõmunione usu illius obsignantur, eorũ imaginẽ in nostra etiã conuersatione coram Ecclesia exprimamus. & dum in communio nẽ mortis, sepulturæ, ac resurrectionis Chri sti nos baptizatos esse non ignoramus: mor tis etiã, sepulturæq;, ac resurrectionis Chris sti imaginẽ aut similitudinẽ in nobis aliquam (pro summa uirili nostra) ostendere conen mur, quemadmodum Paulus docet. Hæc (in quam) de Baptismo docemus, atq; ita de illo populũ institui, satis esse putamus. Ad eun dem modũ docemus & de Cœna Domini. Ac dicimus, Cœnæ usu obsignari nostram cum

Christo

Christo communionẽ in corpore & sanguine ipsius, & proinde iustitiã quoq; nostram quæ fidei est, ex ipsius institutione. Et Paulũ sequuti docemus, Cœnã Domini esse corporis & sanguinis Christi cõmunionem: iuxta sacramẽti rationẽ. Docemus & iuxta Cœnæ uerba, Cœnam, esse sacramentum corporis & sanguinis Christi. fatemur ingenue, pios omnes in Cœna, uero corpori & sanguine Christi, uerè etiam communicare. Impios uero, dum indigne (hoc est sine fide & contemptim) Cœnam sumãt, reos effici corporis Christi, quòd illud non diiudicent. Agnoscimus præterea libenter & Christi Domini in Cœna sua præsentiam. iuxta quam efficax est ad salutem omnibus, quicunq; suã cum illo, & illius secum communionem, Cœnæ suæ usu, in sua Ecclesia cõtestantur. Cæterũ de modo præsentiæ nihil anxij sumus. inò uero nobis (tantisper dum doctorũ sententiæ de illo uariant) temperandũ à curiosa illius apud populum disquisitione omnino esse putamus. quòd nobis satis sit habere Christum, utut illum habeamus. interim tamen patimur in suo quenq; hic sensu abundare: neq; doctrinæ hac in parte diſsidiũ tanti esse

ti esse faciendum putamus: ut propter illud quenquam omnino iudicare, nedum Ecclesiarũ societatem scindere uelimus. modo ne apud populum attingatur, quia diſsidia parit: Et uoces quæ in hac adhibentur controuersia, nusquam in scripturis leguntur. Intra hos fines nostram nos doctrinam apud populum de Cœna Domini continemus: ut paci ac tranquillitati Ecclesiarum nostrarum consulamus. nec dubitamus, nos, hac doctrinæ nostræ moderatione, & Christo ipsi Domino, eiusq; institutioni: & piis ubilibet locorum omnibus (ut nunc sunt tempora) satisfacturos esse. nihil enim hic habetur, præter uerbum Dei. Et interim habetur quod ad salutem cuiusq; satis est. nihil item quod non commune nobis cum Catholica Christi Ecclesia habeamus: ut hanc sanè nobiscum reprehendat necesse est, quisquis nostram istam doctrinæ moderationem reprehendere uelit. Cum hac porrò damnamus Papisticam transformationem. damnamus item localem (ut uocant) ac naturalem in pane, siue sub pane ac uino, corporis & sanguinis Christi inclusionem: quòd utraq; hæc sine manifesta idololatria constitui non

possunt.

possunt. Et damnamus præterea doctrinam illorum, qui sacramenta omnia, nuda signa esse docent. atq; inter res ἀδιαφόρους numerant: & humane duntaxat conuersationis notas esse uolunt, quibus à Iudæis & Ethnicis omnibus discernamur. Has (inquã) doctrinas damnamus omnes, sequuti in hac parte Catholicæ Christi Ecclesiæ iudicium ex uerbo Dei: neq; nobis illas inter nos quos quomodo ferendas esse putamus. Quod uero ad Doctorum illam, de modo præsentiæ Christi in Cœna, controuersiam attinet: de hac (citra cuiusquam præiudicium) nostrã suspendimus sententiam, donec à Catholica Christi Ecclesia discernatur. Et Deum precamur, ut omnia doctrinæ dissidia per spiritum suum in Ecclesia sua componat. Vt tamen summã ipsam controuersiæ cognoscas: Non agitur de cœnæ dignitate aut efficatia: de his enim conuenit inter omnes. sed de elementis Cœnæ duntaxat agitur: dum illis alij plus alij minus tribuere uidentur. nempè ut aut in pane ac uino corpus & sanguinem Christi contineri: aut ministri opere nobis illa per panem ac uinum exhiberi: aut spiritualiter tantum à nobis percipi putant: sine

ulla uel ad elementa ipsa Cœnæ, uel ad opus ministri alligatione. Cæterum quod ad uim dignitatem ac mysteria Cœnæ attinet, in iis unanimiter hactenus omnes consentiunt: ut agnoscant Cœnæ mysterium esse nostram cum Christo, communionem in corpore & sanguine ipsius. quam sanè summam Cœnæ Dominicæ dignitatem esse constat. Agnoscant item unanimiter omnes, nos in Cœna, uero corpori & sanguini Christi uerè etiã communicare. quæ omnium summa est Cœnæ uirtus atq; efficacia: neq; supra hanc ulla maior alia constitui potest. Præterea omnes unanimiter agnoscunt etiam, Christi Domini in cœna sua præsentiam: ut uelut ab ipsos met, nostram secum, & suam nobiscum communionem, obsignari credamus in sua institutione. Quid uero ad eam Cœnæ dignitatem atq; efficaciam addi amplius: Aut quid de illa magnificentius constitui potest? Et cum de his omnibus nulla sit omnino inter doctos omnes controuersia, non equidẽ pro Cœnæ ipsius dignitate atq; efficatia certas men inter illos esse existimamus: sed pro Cœnæ elementis. quæ sanè haud scio an tanti facere debeamus, ut propter illorum contro-

uersiam

uersiam, Ecclesias scindere, doctrinam nostram in dubitationem apud populum uocare, causam Euangelij calumniis ac blasphemiis aduersariorum exponere, nosq; ipsos inuicem prosciendere, ac diris præterea omnibus deuouere debeamus. Nos certe sanguinem Christi Domini, & legem charitatis Christianæ, pluris esse nobis faciendam existimamus: quàm ut quenquam omnium pro quibus Christus mortuus est, propter elementorum controuersiam, iudicare quoquo modo uelimus. Tres sunt aũt Doctorum hac in parte sententiæ. quarum prima elementis Cœnæ, plus cæteris tribuit. Altera ad ministri opus id totum. quod prior elementis tribuit, referendum potius esse putat. Tertia uero, quod prior utraq;, uel elementis, uel ministri operi tribuere uidetur: id totũ transfert ad Spiritus sancti opus, tanquam assidui testis & glorificatoris Christi Domini apud suos, in qualibet ipsius institutione. Primæ sententiæ doctores nituntur simplici uerborum Cœnæ interpretatione: atque iuxta hanc argumentantur ad hunc modum. Si uerum est (inquiunt) quod ait Christus, panem esse corpus suum: hoc est substã

tiã corporis sui naturalis. Sanè in pane, aut sub pane: in uino itẽ, est, distribuitur, ac percipitur ab omnibus, piis æquæ atq; impiis, substantia naturalis corporis & sanguinis Christi. At uero non potest non esse uerum, quod ait Christus, cum sit ipsa ueritas: Verum est igitur, in pane ac uino Cœnæ esse, distribui, atque ab omnibus sine discrimine (ore etiam carnali) percipi substantiã corporis & sanguinis Christi naturalis. Adducunt in huius suæ sententiæ confirmationẽ, Pauli locum, de indigno panis Cœnæ esu, & neglecta corporis Dominici diiudicatione: Et negant diiudicari posse corpus Domini, si non edatur. Tuentur præterea suam hanc sententiam ad hunc modum. Dicunt uiolari uerborum Cœnæ ueritatem: detrahi item potentiæ Christi ab iis, qui doctrinam hanc non recipiunt. Et cũ id ab omni homine Christiano longe alienum esse oporteat: non posse omnes non etiam assentiri huic sententiæ, quicunq; Christiani esse uolunt. Atq; hæc ferè precipua sunt, quæ primæ huius sentẽtiæ doctores adferre solent. Alij rursum sunt, qui in reliquis quidem omnibus cum primæ istius sententiæ doctoribus fere consentiunt:

sentiunt: præterquam quòd alteram quandam rationem adferunt eius unionis, quam sacramentalem uocant. neq; enim illam in hoc consistere putant, ut signata cum signis ita connectat. ut quisquis elementa cœnæ sumit, is eorum quoq; signata, hoc est, corpus & sanguinem Christi sumpsisse credatur. Hi porrò docent Cœnam Domini non pertinere ad alios, quàm propter quos est à Domino instituta. Certum esse autem, non propter impios, sed propter fideles Cœnam à Domino institutam esse, ad sui, beneficiorumq; suorum (morte sua nobis promeritorum) recordationẽ. Et proinde ad quos Christi beneficia non pertinent, ad eos etiã Cœnæ mysteria non pertinere: etiamsi Cœnæ elementa in suam ipsi perniciem, certãq; damnationis suæ obsignationẽ edant. Vnionem uero sacramentalem constituunt, non in connexione ulla individua signatorũ cum signis, ut uocant: sed in ministerij Ecclesiastici efficacia à Domino ipso instituti. quod ut ad confirmandã piorum fidẽ potissimum institutum est, in sacramentorum omnium administratione: ita ad impios, qui nolunt credere (quod ad eius efficaciam attinet)

referri etiam non posſit. Confirmant hanc ſuam doctrinam Iudæ proditoris exemplo: qui ex ipſiuſmet Christi Domini manibus, elementa quidē percepit, myſteria non percepit, imo uero Sathanam cum elementis ſumpſiſſe legitur. qui certe cum ſacroſancto Christi corpore ſumi ſimul non potuit: præterquam ſi Christi Domini cum Belial communionem aliquam, contra doctrinam Apoſtolicā ſtatuamus. Addunt & hoc præterea, oportere omnes qui Christi Domini corpus in cœna ſua edunt & ſanguinem eius bibunt: habere cum illo etiam eorum omnium communionem, quæ corpore ipſe ſuo pro nobis in mortē tradito ſanguineq; item ſuo pro nobis fuſo promeruit. Neque enim ideo Cœnam Domini conſtitutam eſſe, ut noſtram cum Chriſto communionem iuxta ſubſtantiam duntaxat corporis & ſanguinis ipſius obſignet: ſed iuxta id totum etiā, quod nobis morte illius promeritum eſſe nō dubitamus. Vnde & à Paulo Cœnam Domini uocari dicunt κατ᾽ αγγελίαν, à Chriſto item ipſo ἀνάμνησιν non tam equidem incarnationis ſuæ (iuxta quam ſanè omnes, & pij ſimul & impij communionem cum

Chriſto

Christo Domino habent quod quidē ad carnis & sanguinis substantiam attinet) quàm potius mortis ac crucis suæ, ut illius potissimum uirtutem atq; efficaciam in nobis Cœnæ suæ testimonio obsignari credamus. Qui uero (inquiunt) eam cum Christo cōmunionē habent, quæ nobis Cœnæ usu designatur: neq; Christus sine his iam sanè regnabit: neq; illi sine Christo dānari etiam poterūt. Quare si impij quoq; corpus Christi in Cœna edunt, & sanguinē eius bibunt: neq; Christus sine illis regnabit iā, neq; impij sine Christo dānari etiam possunt. At uero Christum Dominum, Deo iam, non autem impiis uiuere dicunt: nedum ut cum impiis damnari posit. nullam igitur impios cum Christo habere in Cœna sua cōmunionem, & proinde neq; corpus suum edere, neq; sanguinē etiam bibere posse docēt. In hoc igitur isti à prioribus dissentiunt: quòd non eandē prorsus rationē in cœna Domini constituunt sacramentalis unionis, cū prioris sententiæ doctoribus: sed quæ ad fideles tantum pertineat. dicuntq;, fide, non aūt carnali ore, nos, Christi corpori & sanguini, in cœna sua cōmunicare. quæ cū careant impij, nihil ad eos etiā mysticam

Cœnæ communionem (quæ fide apprehenditur) pertinere. In hoc tamen cum prioribus illis consentiunt, quòd ipsam naturalis Christi corporis & sanguinis substantiam (licet non localiter ut aiunt, neq; naturaliter elemẽtis connexam, uerè tamen ac realiter interim, cum elemẽtis, siue per elementa piis omnibus in cœna exhiberi docent. sed hoc fieri, non propter substantialem ullam mysterij cum elemẽtis connexionẽ: sed propter ministerij efficaciam, ex Christi (in ministerio nostro efficacis) ordinatione. ex qua ipsi (ut dictum est) metiuntur sacramentalem unionem. De non diiudicantibus corpus Domini, dicunt, non ideo illos à Paulo reos pronunciari corporis & sanguinis Christi, quòd indigne corpus aut sanguinem Christi sumant: sed quòd, dum Cœnæ elementa sumunt, illorum mysteria, hoc est corpus & sanguinem Christi, non diiudicant: hoc est, illorum dignitatem non rectè secum expendunt. sed eodem ferè loco habent uulgarem quemcunq; alium cibum, cum cibo hoc spirituali: hoc est, complectente sacros sanctum ac prorsus spirituale mysterium, nostræ cum Christo communionis, in cor-

pore

pore & sanguine ipsius. Iam diiudicationem consistere non in esu ipso, sed indigna animi reputatione. Et proinde diiudicari posse corpus Domini, etiamsi non edatur. imò uero diiudicari à piis semper, etiamsi Cœna à piis omnibus, non semper sumatur. Non igitur inde effici, impios, edere corpus Christi: quòd (dum illud non diiudicant) corporis Dominici rei esse dicantur. Atq; hæc in summa adferunt secundæ huius sententiæ autores. Tertij porrò sunt, qui in hoc quidem. Et ipsi cum secundæ sententiæ doctoribus consentiunt, quòd à piis duntaxat, & quidem fide sola, corpus Christi in Cœna sua edi, & sanguinem eius bibi docent. Cæterum in ratione unionis illius sacramentalis ab utris; dissentiunt. Atque agnoscunt quidem & ipsi, imo uero urgent etiam, Sacramentalem in Cœna unionem: sed eam, neq; ex substantiarum in elementis cõnexione ulla. neq; itẽ ex operatione ministri æstimari uolunt. Referunt autem illam ad opus Spiritus sancti, circa nostrum ministerium: qui est testis & glorificator Christi assiduus in qualibet sua institutione. Ac primum in constituendo Cœnæ loco, Pauli doctrinam

ctrinam proferunt. Et quemadmodũ Paulus in uno homine duos complectitur homines, interiorem & exteriorem: atq; hos ambos, unum hominem esse docet. aliam tamen interioris hominis, aliam uero exterioris operationem: alium item & utriusq; conuersationis locũ ponit. nempè secundum interiorem hominem. fide, nos iam non hic, sed in cœlis uersari: collocatos nimirũ illic iam cũ Christo, sub spe, ad dexteram Patris Dei: secundum exteriorẽ uero hominem nos hic in carne adhuc (donec hinc euocemur) manere. Ita uerò etsi non diuidamur ipsi, alium tamen locũ interiori nostro homini, alium uero exteriori (quod ad utriusq; conuersationem attinet) designari docent. Ad hunc igitur modũ de Cœnæ loco, deq; ipso etiam cœnæ sacramento cogitandum esse putant: ut quod in Sacramento Cœnæ externum est, ab externo id homine etiam, in suæ conuersationis loco, hoc est, hic super terrã in cœtu fidelium sumi: quod uero mysticum, cœleste, ac spirituale est, id ab interiore nostro homine, per fidem, in loco etiam suæ conuersationis edi intelligamus. Quare ut in nobis ipsi duos agnoscimus homines, non uno loco

uersans

uersantes: ut item in sacramentis duo agnoscimus, quorum alterum nempè terrenum, ad eum in nobis hominem, qui in terris maneat. Alterum uero, nempè cœleste, ad eum in nobis hominem qui in cœlis per fidem (ut dictum est) uersatur pertineat: ita Cœnæ quoq; locum non hîc tantum statuendũ esse à nobis docent, ubi ad sumenda cœnæ elemẽta conuenimus: sed ipsos etiã cœlos, ipsamq; adeo Patris Dei dexterã: ad quam (sub spe) iam (ut dictum est) collocati, cum Christo Domino secundũ interiorem nostrum hominem residemus. Ita & Christum Dominum, non modo cœnæ adesse confitentur: sed nobis etiam (secundum interiorem hominem) ad cœlos usq; per fidẽ euectis, corporis illius & sanguinis sui ueram ac salutarem cõmunionem exhibere. Cœnam igitur non esse nudam actionem tragœdiæ similem: elementa item illius, non esse nuda elementa: sed CHRISTVM Dominum adesse suæ Cœnæ: qui nusquam non adest ubi duo, aut tres in suo nomine conuenerunt. Et esse præterea efficacem per Spiritum suum, circa suam institutionem. ut nos, secundum interiorem nostrum hominem, ad

cœlos

cœlos usq; imo & supra cœlos omnes subue-
hat, ut erectis illuc, fide, animis nostris præ-
sentes iam, præsentis etiam Christi Domini
corpore & sanguine ad uitam æternã pasca-
mur. elementa autem Cœnæ iuxta Christi
institutionem sumpta, esse efficacia sigilla
in fidelium animis, eius ipsius nostræ cum
Christo Domino communionis. ut sumptis è
ministri manibus Cœnæ elementis uere nos
corpori iam & sanguini Christi, uerè etiam
communicare credamus. subuectis uidelicet
per Spiritum sanctum animis nostris, fide,
qui ut est aßiduus atq; efficax glorificator
& testis omnis Christi doctrinæ & institu-
tionis: ita neq; ipsam Cœnæ actionem in fi-
delium animis ociosam, neq; eius item ele-
menta, nuda aut uana esse sinit, quoties Cœ-
na Domini peragitur iuxta ipsius institutio-
nem. Eam porrò per ciplendi fide, unà cum
elementis Cœnæ cœlestis mysterij coniunc-
tionem, quam pij animo suo sursum erecto
(ex afflatu Spiritus sancti) complectuntur:
uocant sacramentalẽ elementorum eum mys-
teriis unionem. non aũt realem ullam sub-
stantiæ corporis aut sanguinis Christi cum
elementis cõnexionem: Estq; hæc tertia doc-

ctorum

ctorum sententia de Cœnæ elementis & sacramentali illorum cũ mysteriis cœnæ unione. Confirmant autem & isti suam hanc sententiam, tum rationibus, tum scripturis. Et in eo, quod cum secundæ sententiæ doctoribus commune habent, nempe quòd ab impiis Christi corpus edi negant: iisdem etiam cum illis argumentis utuntur. Cæterum quo minus realem substantiæ corporis Christi aut sanguinis hic inter nos (quæ edi debeat aut bibi) præsentiam agnoscant: obstare hic sibi dicunt articulum fidei Christianæ, de Christi Domini assensione. quẽ Christus alioquì ipse imaginationi huic de reali (iuxta substantiam) corporis sui manducatione opposuit. Dicunt item, Si fide communicamus corpori & sanguini Christi: & per fidem, non tam hic in terris, quam in cœlis potius uersamur. Sanè fidem in cœlis uersantem non requirere hic corporis CHRISTI præsentiam iuxta substantiam ipsius. Vnde & ab Ecclesia receptum esse docent, ut circa cœnæ actionem canat, Sursum corda: non huc ad elemẽta corda. Præterea & de hoc dicũt: Si substantia corporis Christi naturalis sumitur distribuiturq; in cœna cum pane, uel

in pane:

in pane: utcunq; tandem de sacramentali unione statuatur: Et sanguinis quoq; substantiam in uino sumi oportebit. Cum uero elementa cœnæ ipsa separatim sumantur, separatam sanè etiam esse oportebit in Christo, sanguinis sui substantiam, à substantia corporis ipsius. At uero nullam prorsus in Christo iam separationem, realem præsertim, imaginari nos posse putant. præterquàm si ad Papisticam illam rursus subnexionem recurramus: ut ibi sit sanguis, ibi & corpus esse: ubi rursum corpus sit, ibi esse & animam, adeoq; & diuinitatis ipsam (si ita loqui liceat) substantiã dicamus. hoc uero cum nullo modo consistere poßit: consistere procul dubio etiam non posse hanc de mysteriorum cum elementis Cœnæ unionem, ut coniunctas utrorumq́; in illis substantias realiter nos sumere, aut per ministrũ distribui posse credamus. utcunq; tandem realem hanc corporis & sanguinis Christi substantiæ cõiunctionem exponamus. Postremo adferunt ipsiusmet Christi Domini doctrinã qui disserens de corporis sui manducatione, docet, ad salutem nostram satis esse eam illius mãducationem, quæ fide duntaxat constaret.

addi

addi enim illi à Christo disertè uitæ æternæ promißionem: non addendam hauddubie, si quam aliam Dominus instituere adhuc uoluisset. Cur uero nobis satis non sit (inquiunt) quod Christo satis est, ad nostram salutem? Et sanè fatendum est, ad salutem satis esse Christo Domino, cui illæ addit uitæ æternæ promißionem. Proinde cum spirituali manducationi additam uideamus à Domino ipso clariſſimam uitæ æternæ promißionem: & hæc fidei nostræ, non equidē hic, sed in cœlis uersanti offeratur: putant non esse necessariam doctrinam hanc, de corporali CHRISTI ulla hic in terris, apud nos, præsentia, nedum manducatione. De uerbis cœnæ, dicunt, se uerbis cœnæ non minus quàm priores utroq; doctores illos credere. Sed in hac inter se & illos controuersia non agi de ueritate uerborum CHRISTI, neq; item de illius omnipotentia: sed de Germana ac uera uerborum CHRISTI expositione, iuxta mentem, ac uoluntatem ipsius. quam equidem in hac controuersia approbari oporteat aliorum locorum, idem aut simile argumentum tractantium collatione. Is enim demum

recte

recte Christi uerba interpretari atq; intelligere existimandus est, qui mentem ac uoluntatem Christi in illis, omnium luculentissime, ex mutua locorũ collatione, argumentiq; quod tractatur natura ac ingenio, comonstrat. In uerbis porrò cœnæ negant extare substantiæ uocem, ut sub corporis nomine ipsam corporis substantiam necessario credere aut intelligere debeamus. neq; enim Christus ait, hoc est substãtia corporis mei. Sed ait tantũ hoc est corpus meum. Et si ex mutua locorum collatione, rem sacramentariã tractantiũ, doceri posit, non pugnare id cum mente ac institutione Christi, ut corporis nomen, pro sacramento, non autem pro substantia corporis accipiatur in hisce cœnæ uerbis. Sanè tam se nihil detrahere, aut ueritati uerborum Christi: aut illius omnipotentiæ (de quorum neutro se dubitare dicunt) si nomen corporis pro sacramento corporis in uerbis cœnæ accipiant: quàm se nihil detrahere illi putãt, qui idem ipsum corporis nomen pro corporis substantia accipi uolunt. Non igitur hic agi de ipsis cœnæ uerbis, quæ nemo nõ uerissima esse fatetur, si iuxta mentem Christi exponãtur: sed agi

de

de uerborum interpretatione, utra propius ad mentem Christi accedat. Iam id extra cõtrouersiam uerum esse dicunt: cœnam Dominj esse sacramentum, uerba item cœnæ, esse uerba instituentis Sacramentũ. In tractanda uero re sacramentaria, ubiq; hoc familiare esse scripturæ ut τροπικῶς de sacramentis loquatur, & sacramentorum elementa mysteriorum ipsorum nominibus ornet. Probabilius igitur esse, Christum Dominum, iuxta expressum in scripturis uerbi sui diuini usum, cœnæ etiam suæ uerba proferre uoluisse: quàm ut ea præter scripturæ usum, præter naturam item omnium sacramentorum proferre uoluisse credatur. Et proinde cum usus ipse scripturæ atq; natura item omnium sacramẽtorum testetur, ipsorum interpretationem propius ad mentem atq; institutionẽ Christi accedere: magis sanè germanam esse hanc ipsorum in uerbis cœnæ corporis interpretationem, ut nomen corporis pro sacramento corporis accipiant: quàm priorum illorum, qui simplici uerborum interpretationi inmixi (quam tamen nullã hactenus, quæ tropis prorsus careat, adferre adhuc potuerunt) corporis no-

men pro ipsa naturalis corporis substantia accipi uolunt. ut hic sit uerborum cœnæ sensus. Hoc est corpus meum: id est, hoc est sacramentum corporis mei. Sacramentum uero intelligunt, non elementa tantum sacramenti. sed ipsum (si ita dicere liceat) mysteriorũ cum elemẽtis in sacra actione inuolucrum, utraq; hæc complectens per sacramentalem illam unionem, quam autore Spiritu sancto animis nostris complectimur (ut dictum est) circa sacramentorum administrationem. Atq; hæ sunt tres nunc doctorũ de cœnæ sacramento sententiæ: quæ interim in re ipsa sacramenti, unanimiter consentiunt: nempè in uera, ueri corporis & sanguinis Christi, in cœna communione. etiamsi de illius modo (nempè an iuxta ipsam corporis & sanguinis substantiam, an uero sacramentaliter fiat) nonnihil dissentire uideãtur. Neq; est alia in re ulla inter has sententias omnes cõtrouersia, quàm quòd unionem sacramentalem (quam interim omnes agnoscunt) non ad eundẽ modum exponant. sed alij illam in reali ac substantiali mysteriorum cum elementis: Alij in ministerij per ministri opus efficacia: Alij uero in mini-

sterij

sterij quidem efficacia etiam, sed per ipsius Spiritus sancti, nõ autem per ministri opus, constitutam esse putant. Iam uero si sacramentalis huius unionis ne mentio quidē facta unquam fuisset: nedū ut illius tanta controuersia fuisset exorta: An iam de ui & dignitate sacramentorum actum omnino fuisset? Equidem in literis Apostolicis nullam illius mentionem usquã uidemus. Et tamen de sacramentorum dignitate, uirtute, atque efficacia, ab Apostolis dubitatum minime esse putamus. Quòd si tum illibata prorsus erat inter Apostolos ipsos uirtus & dignitas sacramentorum, cum ne nomen quidem sacramentalis istius unionis usquam extaret: nedum ut tanta illius nomine controuersia exorta esset. Sanè & nunc suam apud nos sacramenta ipsa dignitatem retinere possent. etiamsi ab anxia accuratáq; unionis huius controuersia nobis religiose temperaremus. Et posteaquam de ipso sacramenti cœnæ mysterio non est ulla inter doctos omnes controuersia, omnes enim agnoscunt Cœnam Domini esse communionem corporis & sanguinis CHRISTI. Piis uero omnibus rem ipsam sacramenti habere satis

est: etiamsi modum illius non prorsus exactè assequantur. Satis & ego (hoc præsertim tempore) esse putarem, de re duntaxat ipsa sacramentorum populum docere: hoc est de ipsa corporis & sanguinis Christi dei nobis communione: ut unanimem doctrinæ consensum in Ecclesiis retineremus. Ab elementorum uero in sacramentis controuersia nobis temperare: ne camino oleum (quod dicitur) addamus. Meminisse debemus omnem nostram in ministerio potestatem, non ad diſsidia, multo minus autem ad diſsipationem, sed ad ædificationem Ecclesiarum datum esse. omnes itaq; nobis occasiones quærendæ sunt, non exacerbandi sanè res plus satis alioqui exulceratas: sed mitigãdi ac leniendi omnia quæcũq; citra salutis iacturã ferri possunt. Si cubi hic à quibuslibet erratum est: humanus error est. Certum est enim Doctores istos omnes, qui ita inter se uariant, ita affectos esse: ut si manifesta uerbi diuini autoritate erroris se sui conuinci ullo modo sentiant, mox sint (summa etiam cum alacritate) sententiam suam mutaturi. Nota est omnibus illorum pietas: notum est & in propagando Christi

Euange-

Euangelio ſtudium. Quòd ſi Deus ad declarandam luculentius archanorum ſuorum ueritatem, prodendanq; indies magis & magis Papiſticæ idololatriæ turpitudinem, Eccleſiam adhuc ſuam iſtiuſmodi opinionum uarietate exerceri uelit: Noſtrum eſt, & nos mutuo ſimulq; & errata noſtra ferre nos in lenitate ac manſuetudine Chriſtiana feramus. Et Eccleſiæ henadem propter humana errata noſtra ne ſcindamus, ad quam alioqui diſſipandam, omnes ſuos conatus ſathanam expedire uidemus. Habes (frater charißime) ſummam & noſtræ doctrinæ quam publicè hic tradimus: & totius propemodum controuerſiæ de Cœna Domini, totaq; adeo ſacramentaria cauſa quanto fieri potuit compendio comprehenſam. Precemur Dominum, ut qui pacis & unionis non autem diſſidiorũ Deus eſt, omnia etiam doctrinæ atq; animorum diſſidia tandem in ſua Eccleſia componat. ad laudem & gloriam ſancti ſui nominis. Et Eccleſiæ ſuæ pacificationem, Amen. Æmdæ Friſiorum. Menſe Aprili.

1545.

ΤΕΛΟΣ.

LIBRARY OF THE UNION THEOLOGICAL SEMINARY NEW YORK